

THESES THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

Theses Theologiæ Fundamentalis

Ad usum privatum scholarium

(Pro manuscripto)

Aránzazu, 1949

INTRODUCTIO

1.—Quid sit Theologia

DEFINITIO THEOLOGIAE.—“Scientia de Deo ac de creaturis per divinam revelationem acquisita.

Objectum materiale, id est, materia circa quan agit Theologia: omnia illa quae Deus voluit revelare ac a Magisterio Ecclesiae credenda proponuntur, sive pertineant ad Deum, sive ad mundum, sive ad hominem etcetera.

Objectum formale, seu ratio specialis sub qua objectum materiale consideratur in hac scientia est divina Revelatio, scilicet illae omnes veritates considerantur quatenus sunt a deo revelatae. Res consideratur vera non quia perspicitur lumine rationis sed quia appetet Deum eam revelasse.

METHODUS.—Ex hoc jam appetet qualis debeat esse methodus propria seu peculiaris hujus scientiae: methodus theologica seu dogmatica est essentialiter ex auctoritate. Veritates accipiuntur quia sunt revelatae a Deo, non quia perspicitur intrinseca evidentia earum. Exemplum: “Deus est Trinus”: Theologia accipit hanc veritatem quia videt illam esse contentam in revelatione positiva proposita ab Ecclesia.

DIVISIO THEOLOGIAE.—Ratione materiae dividitur in Dogmatica et Morali. In his duobus disciplinis absolvitur totus complexus veritatum revelatarum, quare ad has duas reducitur merito tota Theologia. Dogmatica considerat veritates illas quae potius dici possunt speculativae, Moralis vero sumit ex veritatibus revelatis illas quae sunt norma proxima

agendi. Sed non debemus praeterire quod etiam veritates illae dogmatae debent aliquo modo "inspirare" actionem hominis christiani, quare non sunt veritates pure theoreticae; nam Deus revelavit illas ut inserviant vitae nostrae.

EXCELLENTIA THEOLOGIAE.—Scientia a Deo, de Deo, ductiva ad Deum. Estne scientia stricte dicta? Si ad scientiam requiritur evidencia intrinseca rei, tunc Theologia non est scientia, nam deficit haec conditio; secus, quoad certitudinem veritatum, nulla potest cum ea comparari, quia nititur auctoritate Dei revelantis.

THEOLOGIA POSITIVA ET SCHOLASTICA.—Positiva objectum habet determinare veritates, probando ex fontibus revelationis illas esse revelatas. Scholastica habet tesseram: "Fides quaerens intellectum", id est, supponit probatam existentiam revelationis alicujus veritatis et ulterius progreditur et perscrutatur illam ope rationis. Est ergo theologia speculativa seu philosophica. Sunt velut duae species seu modi tractandi res theologicas. Olim praeorsum excolabetur scholastica; hodie est magis necessaria tractatio positiva dogmatum, at etiam debet coli investigatio speculativa horum dogmatum.

2.—Quid sit Theologia Fundamentalis

Essentia Theologiae est in eo quod veritates accipientur et considerantur quatenus a Deo revelatae. Sed hoc supponit factum seu existentiam revelationis. Id est, antequam incipiamus uti hac methodo dogmatica seu stricte theologica debemus probare Deum de facto revelasse et ita ostendere legitimatem hujus methodi. Hoc est munus Theologiae Fundamentalis. Vocabatur ita quia revera haec pars Theologiae Dogmaticae ponit fundamenta totius aedificit theologici. Potest ergo definiri:

Definitio: "Scientia quae statuit principia totius Theologiae, ostendendo religionem christiano-catholicam a Deo esse revelatam".

Objectum materiale Theologiae Fundamentalis est factum revelationis. *Objectum vero formale*, demonstrabilitas rationalis hujus facti.

Munus ergo positivum habet Theologia Fundamentalis, scilicet ponere fundamenta quae logice praequiruntur in Theologia, et negativum, defendere rationalitatem fidei christiana ab impugnationibus, quare etiam Apologetica vocatur. Sed stricte loquendo nomen *Theologia Fundamentalis* latius se habet quam *Apologetica*, quia comprehendit etiam tractatum *De Fide*; Apologetica vero explicit cum tractatu *De Ecclesia*.

METHODUS.—Theologia Fundamentalis est scientia rationalis. Non potest uti methodo dogmatica antequam ostendat ejus legitimitatem: esset circulus vitiosus. Quoniam debet demonstrare existentiam facti revelationis et hoc factum pertinet ad historiam, hoc debet probari historice; et quia probatio historica necessario supponit quosdam conceptus philosophicos, methodus uno verbo debet esse *philosophico-historica*. Auctoritas Ecclesiae non debet afferri tamquam argumentum.

Theologia Fundamentalis est pars Theologiae ut fundamentum est pars aedificii et efficit unum quid cum illo. Et quia est pars Theologiae dirigitur positive a Magisterio ecclastico, non tantum negative, ut Philosophia.

RELATIONES CUM DOGMATICA.—Quoniam Theologia Fundamentalis habet suum objectum formale (demonstrabilitatem facti revelationis) et methodum propriam toto coelo diversam a' methodo dogmatica, plures auctores loquuntur quasi de scientiis diversis. Apparet convenientia, immo et necessitas, ut eadem res tractentur et apologetice et dogmatically. Theologia Fundamentalis et Dogmatica sunt disciplinae ejusdem Theologiae, specifice diversae inter se.

DIVISIO.—Nos dividimus totam materiam tractandam in tres partes: 1^a Pars, De Revelatione Christiana. 2^a Pars, De Ecclesia Christi, 3^a Pars, De Fide Ecclesiae Catholicae.

DE CENSURIS THEOLOGICIS.—Theologia Fundamentalis ut talis non potest dare censuras theologicas, sed dabimus de unaquaque re ad informationem, et quia multae res jam amplius non videntur in Theologia, ut perpendat alumnus illas esse dogmata, quamvis methodice non tractentur dogmatically. Explicatio praecipuarum: *De fide definita; de fide divino-catholica; doctrina catholica*, etc.



PARS I

DE REVELATIONE CHRISTIANA

Haec 1^a Pars comprehendit duos tractatus, scilicet *Tractatus I, De Religione et Revelatione in genere*, et *Tractatus II, De Jesu Christo Legato Divino.*

Tractatus I

DE RELIGIONE ET REVELATIONE IN GENERE

Theologia Fundamentalis habet tamquam scopum demonstrare existentiam Religionis Revelatae. Sed antequam aggrediamur probatianem historicam hujus facti, praecedat oportet inquisitio philosophica circa ipsam Religionem et maxime circa notionem, posibilitatem et circa criteria quibus divina Revelatio redi potest cognoscibilis. Methodus hujus primi tractatus est proinde philosophica. Subdividitur in tres sectiones: 1^a De Religione (thesis I), 2^a De Revelationis notione, posibilitate et necessitate (th. II-IV), 3^a De Revelationis dignoscibiliitate, seu determinatio criteriorum ad detegendam existentiam divinae Revelationis (th. V-VII).

THESIS I

Religio est homini necessaria, quae necessitas includit etiam obligationem inquirendi et amplectendi religionem positivam, si haec de facto a Deo revelatur.

NEXUS.—Scopus Theologiae Fundamentalis est probare veritatem religionis christiana tamquam revelatae. Propterea oportet incipere a notione ipsa et necessitate religionis.

NOTIONES.—*Religio* in genere dicit ordinem ad Deum. Deus vero intelligitur tamquam Deus personalis. Est relatio quaedam hominis cum Deo a quo agnoscit dependere. Dependentia ontologica hominis respectu Dei est fundamentum religionis. Essentia vero religionis est agnitus voluntaria et libera excellentiae Dei, quae agnitus manifestatur honore quem tribuimus Deo, seu cultu. Hic cultus exercetur per adorationem, sacrificium, orationem. Formaliter ergo essentia religionis stat in actu voluntatis libere agnoscentis infinitam excellentiam Dei et nostram dependentiam ab eo; sed hic actus voluntatis supponit tamquam praerrequisitum cognitionem intellectualis hujus excellentiae Dei et dependentiae hominis.

Religio dividitur in *naturalem* et *positivam*. Naturalis exsurgit ex naturali relatione inter hominem et Deum, inter ens ab alio et ens a se. Positiva oritur ex voluntate Dei positiva, hominibus immediate manifestata.

Religio dicitur homini *necessaria* quia hic non potest non agnoscere suam omnimodam dependentiam a Deo. Ergo homo habet obligationem gravem exercendi religionem veram. Hic abstrahimus a diversis formis quas religio induere potest, utrum agatur de naturali vel de positiva, etc. Religio in genere debet esse una et eadem, quia fundata in essentiali relatione hominis ad Deum.

Quoad *originem* et *historiam religionis* haec nota. Dantur formae inferiores religionis. Animismus considerat omnes res naturae praeditas anima simili animae humanae. Fetichismus, Manismus, Magismus, Totemismus... Formae superiores sunt Politheismus et Monotheismus. Quaenam fuerunt formae primitivae religionis? Comte, Lubbock et alii, ducti praejudiciis evolutionisticis, asseruerunt formas inferiores fuisse primitivas; dein, evolutione, apparurunt formae magis perfectae, et tandem, in ultimo stadio evolutionis, venit Monotheismus. Sed historia religionum, testibus Lang, Schmidt et aliis, comprobavit falsitatem hujus theoriae: monotheismus fuit forma magis primitiva et postea venerunt hae formae magis imperfectae. Quomodo possit explicari hic monotheismus universalis primitivus. Quaenam fuerunt causae depravationis subsequentis.

ADVERSARII.—Luther et Kant posuerunt semina errorum modernorum. Luther viam aperuit ad individualismum et subjectivismum. Kant

negat omnem valorem intellectui, fundat religionem super nudam voluntatem. Ritschl et James asserunt: ideae religiosae nihil dicunt de essentia vel existentia rei, sunt verae quatenus inserviunt homini (Pragmatismus). Schleiermacher: praetér intellectum et voluntatem homo habet facultatem peculiarem religiosam, innatam: ("sensus religiosus"), quae facultas transit in actum intuitione universi (Sensismus). R. Otto: hic sensus religiosus est categoria aliqua a priori, cum qua homo percipit Deum modo aliquo irrationali (Irrationalismus). Ex hac experientia religiosa subjectiva ortae sunt omnes religiones, christiana non exclusa. Omnes sunt bonae, verae. Indifferentismus. Non est cur infidelibus praedicemus.

Thesis habet duas partes, ut ex enuntiatione patet.

CENSURA.—Quod religio sit homini necessaria (seu quod homo moraliter obligetur ad amplectendam et exercēdam veram religionem), est de fide divino-catholica, ergo Indifferentismus est haereticus. Cfr. D 1613, 1646-7, 1677, 1717. Quoad necessitatem certitudinis ad amplectendam religionem revelatam, D 1171, 1625.

Prob. I pars. Homo, quatenus creatus a Deo et ordinatus ad illum ut finem suum, debet agnoscere infinitam excellentiam Dei et suam essentiam dependentiam respectu Dei. A religio nihil aliud est quam haec agnitionis libera et voluntaria... Ergo homo debet exercere religionem.

M. Ordo objectivus postulat hoc. m. Est definitio religionis.

Prob. II pars. In hypothesi religionis positivae a Deo revelatae, homo qui prudenter suspicatur Deum revelasse debet inquirere hanc religionem positivam, et cum ipsi constat de ejus veritate, illam debet amplecti. Cultus et submissio quam homo Deo debet postulat quod homo ipsi oboedit etiam cum ille positive manifestat et determinat modum quo vult coli. Et cum agatur de re gravissima, requiritur vera certitudo, talis qualis in casu potest haberi, quae excludat omne dubium prudens. Haec certitudo est moralis, nam agitur de facto histórico; non expectandum quod rationes cogant ad amplectendum nec solvantur omnes objectiones, sed sufficit habere certitudinem de facto revelationis.

Coroll. Non sufficit honestas moralis absque religione.

THESIS II

Divina Revelatio (tam immediata quam mediata) est posibilis.

NEXUS—Quia scopus Theologiae Fundamentalis est probare divinam Revelationem de facto datam fuisse in religione christiano-catholica, antequam aggrediamur tractationem historicam debet philosophice ex-

cuti conceptus ipse revelationis, habilitas ad existendum hujus conceptus, dignoscibilitas revelationis, etc.

NOTIONES.—*Revelatio* est *locutio Dei attestans*. Causa efficiens est ergo Deus vel ipse Filius Dei factus homo in revelatione Novi Testamenti. Conceptus *locutionis*: actus quo quis cognitionem suam directe alteri manifestat. Locutio sumitur hic sensu lato, ut cum dicitur angelos inter se loqui; non agitur de lucutione articulata per organum materiale. Ita etiam debet intelligi quando dicitur Deum loqui cum hominibus, nempe volumus dicere quod *manifestat eis alias veritates*. Haec manifestatio vero, ut sit locutio, debet esse *directa*; non dicitur locutio cum mens loquentis deducitur ex aliis prius cognitis (exemplum, cum arguitur sapientia auctoris ex consideratione mundi). Tandem, locutio requirit *alteritatem*, scilicet ut unus alteri loquatur et hic audiat loquentem.—*Attestans*: de su locutio tendit ad manifestandam alteri aliquam cognitionem et hoc potest fieri vel docendo vel attestando; hic ultimus modus servatur in rebus illis in quibus perspicientia interna non potest dari, e. gr. in rebus historicis quibus audiens non interfuit. Tunc exigitur auctoritas attestantis, quae auctoritas reducitur ad scientiam et veracitatem. Locutio docens producit scientiam, locutio attestans, fidem. Objectum revelationis sunt veritates, praesertim religiosae, sive cognoscibiles per rationem, sive ipsi imperviae. Jam apparet quod revelatio, hoc modo exposita, non est naturalis; non clauditur intra ambitum naturalem; est aliquid *praeter naturale*. Vide hanc notionem in Novo Testam. Mt 10, 26; Eph 3, 4 ss.; D 1785 ss (notio hodierna Ecclesiae). Distingue ab inspiratione biblica, infallibilitate etc.

Divisio Revelationis in *immediata* et *mediata*, prout homini veritas immediate a Deo communicatur vel mediate per hominem cui directa revelatio facta est.—*Publica et privata*: data à Deo in usum et bonum publicum (alicujus gentis in Vet. Test., vel totius generis humani), vel homini singulari et privato ut tali.—*Quoad modum et quoad substantiam*: prout veritates revelatae sunt naturaliter cognoscibiles per rationem vel non.

Posibilitas potest esse metaphysica, physica et moralis. Metaphysica dicit internam sociabilitatem notarum. Physica dicit habilitatem ad existendum in ordine reali seu physico. Moralis innuit potius convenientiam, scilicet utrum adsint fines Deo digni vel pugnet cum perfectionibus Dei. Nos in thesi de posibilitate metaphysica et physica, nam de morali agitur in th. IV.

ADVERSARI. — Omnes facile reducuntur ad duplicem classem: 1^a, qui explicite negant posibilitatem; 2^a, qui retinent nomen revelationis sed ita explicant ut de facto diluant verum conceptum. Ad primam classem pertinent Atheismus, Naturismus, Materialismus, Pantheismus D 1701, Deismus, Rationalismus D 1703. Ad alteram vero, Sensismus, Agnosticismus D 2072, Modernismus.

Thesis habet duas partes: *quoad revel.* immediatam et mediataam.

CENSURA.—De fide definita ex Vat. D 1807, 1808, 1810.

Prob. I pars. Ex consideratione elementorum quae intersunt in conceptu revelationis, nempe Deus revelans, homo accipiens revelationem, res seu veritas revelata.

Ex parte Dei: nulla repugnantia apparet; ut ens personale, praeditus intellectu infinito, summa veritas, potest, si vult, ex thesauro scientiae suaे infinitae communicare homini; leges naturae, quas ipse posuit, subsunt suaे voluntati.

Ex parte hominis: intellectus habet tamquam objectum adaequatum omne verum, ergo est capax accipiendi veritatem a Deo revelatam. Modus accipiendi per actum fidei est valde usitatum et consentaneum homini; praeterea intellectus non sese gerit mere passive, accipit veritatem modo vitali. Si Deus non posset suaे creature manifestare modum quo vult coli, esset pejoris conditionis quam pater respectu filiorum, rex subditorum etc.

Ex parte veritatis nulla apparet difficultas.

Factum historicum: omnes religiones de facto existentes volunt esse a Deo revelatae: hoc saltem probat persuasionem totius generis humani revelationem esse posibilem.

Prob. II pars. (Rev. Mediata) Hic quaestio potius est de transmissione revelationis. Ratio tractandi quaestionem est quia revelatio christiana facta est a Christo immediate aliquibus paucis qui tamquam missi (apostoli) nuntiarent aliis suam doctrinam et constituerent successores cum ipsis decessissent.

Jamvero, neque in hoc modo revelationis apparet difficultas, si Deus praestat auxilia ad hoc ut veritas revelata sine admixtione erroris conservetur et tradatur. Immo natura socialis hominis persuadet potius hunc modum revelationis mediatae. Sed homo qui immediate accepit revelationem debet probare hoc factum aliis ut his constet de veritate talis revelationis.

Obj. Videtur hunc interventum immediatum pugnare cum sapientia Dei, ut si ita vellet sanare defectus naturae et ab initio non esset homo praeditus omnibus his quae ad finem suum obtinendum habet necessaria. Resp. Potest revelare quia vult homini largiri bona naturae indebita; neque repugnat quod hoc modo velit subvenire defectivus ex abusu libertatis provenientibus.

—Videtur revelationem esse prorsus impossibilem, ex disproportione et infinita distantia inter Deum et hominem. Revera homo non potest esse capax accipiendi vel intelligendi nihil horum quae Deus scit et intelligit. Resp. Potest Deus sese accommodare homini in revelando, docere ope terminorum et conceptuum humanorum etc et ita sese aptare ad limitatam capacitatem hominis.

THESIS III

Mysteriorum vel existentiam vel revelationem esse impossibilem ostendi nequit.

NEXUS.—Cum Theologia catholica asserat intra ambitum revelationis inveniri mysteria stricte dicta, agendum est de possibili existentia et revelatione talium.

NOTIONES.—Rite expōnendus est conceptus *mysterii*. Verbum venit a graeco “miein”: claudere; aliquid clausum, absconditum. Tertullianus latine adhibebat “arcānum”. Tam in Veteri quam in Novo Testamento adhibetur in hoc sensu: Veritas a Deo revelata per se intellectui nostro abscondita. Latine vel vox graeca servabatur vel adhibebatur *sacramentum*, sed haec vox deinde reservata est ad significandos ritus efficaces gratiae a Christo Domino nostro perenniter institutos.

Notio mysterii quam Ecclesia tradit eruitur ex D 1795-6, 1670-3. Ratio seu finis ob quem Deus manifestat seu revelat mysteria est elevatio hominis ad ordinem supernaturalem et ejus commercium supernaturale cum Deo. Sunt proinde veritates quae ordinant relationem hominis cum Deo secundum voluntatem Dei positive manifestatam. Inter veritates revelatas aliae sunt intra ambitum vel cognoscibilitatem rationis naturalis, aliae vero (*mysteria*) sunt imperviae rationi. Etiam post revelationem existentiam alicujus mysterii, ejus essentia est impervia et hoc non solum respectu hominis, sed etiam pro omni intellectu creato. Ergo definitio: “*Veritas religiosa intellectui creato per se simpliciter absolute abscondita*”. Post revelationem hae veritates fiunt quidem objectum nostri intellectus ita ut accipiamus ejus aliqualem cognitionem. Exemplum ponamus mysterii Trinitatis: Deus natura unus est trinus Personis. Nexus seu convenientia hujus praedicati cum hoc subjecto constat nobis ex revelatione, admittimus hanc veritatem ratione aliqua externa ipsi veritati, nempe auctoritate Dei revelantis, non quia nos ipsi percipiamus convenientiam terminorum. Sed ex hoc non sequitur talem modum cognoscendi nullam afferre lucem intellectui; haec cognitio perficit intellectum sicut aliae cognitiones quae acquiruntur fide (res historicae), et conferrendo cum aliis conceptibus naturalibus fit verus fons cognitionum. Alia definitio mysterii: Veritates quarum existentiam tantum ex revelatione nobis innotescit et quarum essentia etiam post revelationem est nobis impervia.

ADVERSARII.—Semirationalistae, ita vocati ex negatione mysterii. Juxta hos, postquam revelatae sunt hae veritates possunt philosophice demonstrari ut ceterae aliae. Hermes D 1618, Guenther D 1655, Frohschammer D 1669.

CENSURA.—De fide definita ex Vat D 1816; 1808-10-11; 1708-10.
Thesis habet duas partes

Prob. I pars. Suponimus probatam infinitatem Dei ex Philosophia. Iamvero ens finitum non potest comprehendere infinitum. Ut intellectus creatus possit asserere non esse mysteria in Deo deberet ostendere ipsum posse cognoscere Deum perfecte seu secundum totam suam entitatem, quod non potest ex naturali limitatione et imperfectione intellectus creati. Haec a fortiori vera sunt de intellectu humano in statu conjunctionis cum corpore et de modo quo nunc cognoscimus Deum ex effectibus nam res creatae non exhausti imitabilitatem Dei ad extra.

Prob. II pars. Nulla repugnantia nec inconvenientia ostendi potest contra revelationem mysteriorum. Homo auctoritate Dei discit novas veritates, utilissimas ad fovendam vitam religiosam et quae ordinant relationes hominis cum Deo in ordine supernaturali.

THESIS IV

Revelatio quidem absolute necessaria est in suppositione finis et ordinis supernaturalis; quoad veritates autem ordinis naturalis in praesenti generis humani condicione est secundum quid moraliter necessaria.

NEXUS.—Post tractatam possibilitatem revelationis nunc agendum est de ejus necessitate, ex quo melius apparebit ipsa possiblitas moralis seu convenientia Revelationis, et insimul determinabimus modum et gradum necessitatis quo Revelatio dicenda est necessaria.

NOTIONES.—Necessarium: id sine quo finis aliquis obtineri nequit. Si ergo Revelatio dicitur necessaria eo ipso asseritur illam esse necessariam ad hoc ut homo obtingeat finem ad quem Revelatio ex se ordinatur, id est, ad quasdam veritates cognoscendas. Si medium est physice necessarium ad finem obtinendum, habetur necessitas *absoluta* seu physica. Necessitas vero *moralis* datur cum adsunt media physice necessaria, habetur vera potentia physica, attamen ob impedimenta et difficultates haec potentia non transit in actum. Necessitas moralis potest esse stricta vel late dicta. Stricta, si finis de facto a nullo homine attingitur. Late dicta, si a longe majori parte non attingitur.

Danda est etiam notio ordinis naturalis et supernaturalis. Ordo naturalis est ille qui correspondet naturae humanae, ejus potentiarum et exigentiarum. Religio ordinis naturalis igitur est illa quae fundatur in veritatis naturaliter cognoscibilibus, derivata ex essentiali relatione hominis ad Deum. Ordo supernaturalis est ille qui superat naturam, est supra

exigentias naturae. Cum hic ordo non fundetur in natura, non potest condi nisi interventu aliquo positivo Dei nec potest innotescere nisi per revelationem. Inde tractanda venit duplex quaestio: prima: quaenam necessitas Revelationis in hypothesi elevationis hominis ad ordinem supernaturalem? Responsio est evidens: necessitas *absoluta*.—Sed intra am
~~litum revelationis inveniuntur etiam veritatis que cum non cognoscitur per plenum naturalem.~~ Quaenam necessitas revelationis harum veritatum? En altera quaestio. Afferimus necessitatem *moralemente dictam*. Id est, Revelatio est moraliter necessaria ad hoc ut homines habeant cognitionem congruam, certam et expeditam harum veritatum, si Deus non vult subvenire cum aliquo alio auxilio naturali impotentiae morali qua laborat genus humanum in re.

ADVERSARI. — Rationalismus negat necessitatem Revelationis. Traditionalismus e contra exaggerat necessitatem. Duplex datur species Traditionalismi. Crudior asserit: nulla certitudo habetur existentiae Dei nisi ex fide, cfr. D 1622, 1651. Mitior docet hominem non posse pervenire per rationem ad cognitionem certam Dei nisi juvetur ope ideae Dei in societate existentis et fidei saltem humanae. Sed ex hoc sequitur revelationem esse velut complementum essentiale rationis humanae et ita ordo naturalis et supernaturalis confunduntur.—Methodus immanentiae seu sic dicta nova apologetica plus aequo insistit in indigentia naturae D 2103. Ponit in natura exigentiam revelationis et ordinis supernaturalis.

CENSURA.—De fide definita contra Traditionalismum D 1785. Determinatio gradus necessitatis, doctrina catholica ex D 1786.

Prob. I pars. In suppositione ordinis supernaturalis patet necessitas absoluta, quia hic ordo non potest innotescere nisi manifestatione positiva et praeternaturali Dei.

Prob. II pars. Haec est pars praecipua et propria hujus theses. Duæ viae ad probandum. Prior est theoretica, a priori seu philosophica; altera est historica seu a posteriori, sed utraque exorditur a consideratione status in quo de facto vivit homo.

Via philosophica, seu ex difficultatibus quas solent experiri homines.—Plurimi, ex defectu ingenii non possent pervenire ad hanc cognitionem, plurimi ex defectu otii et temporis vel ex pigritia ad vacandum inquisitioni. Etiam illi qui pervenissent ad cognitionem, non attigissent eam nisi post longum temporis, quia passiones juventutis essent impedimentum. Nec attigissent sine admixtione errorum et falsitatum vel dubiorum.

Via historica.—Teste historia religionum homines de facto non valent retinere conceptum verum et dignum Dei et officiorum religiosorum et moralium. Ubique viget lex degenerationis religiosae. Sit exemplum culturae hellenisticae. Errores religiosi et morales: Sap 13 et 14; Rom 1,18 ss Mala gravissima insanabilia. Undenam poterat venire salus? Ex philosophia? Philosophi et sapientes aliqui pervenerunt ad ideas perfectiores,

sed non erat eis auctoritas ad hoc ut populus acciperet eas, praeterea illi non erant sibi ipsi consentientes. Vigebat ardens desiderium religiosum et persuasio salutem non posse provenire nisi ex Deo.—Etiam in ipso populo Israel et in religione christiana datur haec lex degenerationis. Populus Israel cecidit in polytheismum et non reversus est ad monotheismum nisi hæc probatum missus a deo. ~~it in religione christiana omnes~~
~~illi qui volunt agnoscere auctoritatem deitatem ad suos errores pervenient.~~
ratio est quia Deus eam munivit charismate infallibilitatis. Homo ex se impotens ad retinendum verum conceptum harum veritatum.
Et si Ecclesia Catholica immunis est ab hac lege degenerationis religiosae, ratio est quia Deus eam munivit charismate infallibilitatis. Homo ex se impotens ad retinendum verum conceptum harum veritatum.

Haec facta probant impotentiam hominis relate ad has veritates. Datur potentia physica, sed sunt magnae difficultates ex imbecillitate intellectus, passionibus, medio sociali etc. Posset Deus subvenire huic necessitati auxilio aliquo naturali; propterea ponimus necessitatem moralem valde restrictam:

THESIS V

Factum Revelationis criteriis objective certis et externis demonstrari debet.

NEXUS.—Postquam vidimus possibilitem et necessitatem Revelationis, agendum est jam de ejus dignoscibilitate, id est, quomodo possit homo fieri certus de existentia Revelationis, ita ut sibi constet Deum fuisse locutum. Igitur determinanda sunt criteria quorum ope potest homo pervenire ad cognitionem Revelationis. Cum quaeratur via ad cognoscendum utrum aliqua veritas sit revelata a Deo, primum videtur hanc viam debere consistere in examine interno ipsius veritatis cognoscendae, at statim occurrit difficultas: illa veritas est de se cognoscibilis per rationem vel non; in primo casu, ex inquisitione interna veritatis non potest erui illam esse revelatam; in altero casu, nec utrum illa res quae dicitur revelata sit veritas. Formalitas “esse revelatum” non continetur inter notas internas veritatis. Propterea investigandum erit factum ipsum Revelationis ut factum historicum, et probandum argumentis externis. Tribus thesibus absolvimus hanc quaestionem de dignoscibilitate Revelationis: in hac prima statuimus condiciones quae requiruntur in criteriis Revelationis; in sequenti agimus in specie de criteriis non sufficientibus, et tandem in ultima de criteriis de se plene sufficientibus.

NOTIONES.—*Criterium* est signum seu medium logicum ad cognoscendam aliquam rem eamque ab aliis distinguendam. Relate ad Revelationem eorum munus est dignoscere seu pafefacere factum seu existentiam ipsius Revelationis.

Divisio criteriorum. In *negativa* et *positiva*. Criterium negativum negat ibi adesse signum aliquod falsitatis et ideo asserit non esse impossibile aliquam veritatem esse revelatam; hoc criterium tantum applicari potest veritatibus ordinis naturalis (mediante examine interno earum). Positivum: quod positive probat aliquid, scilicet veritatem Revelationis. Haec criteria positiva dividuntur in *objectiva* et *subjectiva*. Objectiva dicuntur quae respiciunt objectum seu veritatem dignoscendam, et procedunt dupli modo: a) inquirendo in notas vel qualitates ipsius veritatis, et tunc habemus criteria objectiva *interna*; b) inquirendo signa divina quibus Deus testatur veritatem Revelationis; in hoc altero casu criteria sunt *extra* ipsam veritatem revelatam, quare vocantur criteria objectiva *externa*.—Criteria subjectiva respiciunt *subjectum inquirens* veritatem revelatam, scilicet indigentias et necessitates ipsius subjecti, convenientiam amplectendi talem veritatem etc. Possunt dividi in objectivo-subjectiva et mere subjectiva. *Objectivo-subjectiva* vocantur effectus seu fructus quos veritas (objectum) producit in subjecto. *Mere subjectiva*, vero, ita plus minusve procedunt: homo experitur indigentiam et exigentiam Revelationis et gratiae; in religione christiana invenit remedium quod optime convenit huic necessitati, ergo illam amplectitur. Ita nova Apologetica. Schema divisionum:

Criteria	Negativa	Objectiva	Internā
	Positiva		Externa
		Subjectiva	Objectivo-subjectiva
			Mere subjectiva

Alia divisio magni momenti: in criteria *primaria* et *secundaria*. Primaria: illa quae sunt in se et per se sufficientia, quae sola, absque aliorum auxilio, rem evincunt. Secundaria, quae per se sola certo non probant, attamen vim primiorum augent et ita conferunt ad dignoscendam veritatem.

Praeterea dicitur in thesi: "Factum Revelationis criteriis objective certis demonstrari debet". Factum Revelationis est factum ordinis historici et debet probari ut alia facta historica, ita ut perveniatur ad veram certitudinem. Historia habet suas leges, quarum ope quandoque pervenitur ad certitudinem omni exceptione majorem. Et hanc debemus quaerere, nam ut fides sit bene fundata requiritur vera certitudo facti Revelationis.

"...et externis". Quoniam agitur de facto historico, methodus seu via debet esse historica. Iamvero via historica consistit in testimonio externo. Ergo debemus quaerere signum aliquod externum ipsi facto Revelationis.

ADVERSARI.—Ultrasupernaturalismus: protestantes, qui ponunt tanquam criterium immediatam inspirationem Spiritus Sancti singulis filiis; ita, negata auctoritate Ecclesiae, viam aperuerunt ad individualismum et subjectivismum, ex quo tandem ortus est Rationalismus et Naturalismus.—Apologetica Immanentiae (sed de hac in th. sequenti).

CENSURA.—Doctrina catholica ex Vat. D. 1790. 1793; 1637.

Prob. Objective certa.—Ad hoc ut homo amplectatur Revelationem debet esse certus ipsius facti Revelationis et habere de illo talem certitudinem qualem correspondet facto historico.

Externa.—Formalitas “esse revelatum” est externa ipsi veritati revelatae, non potest deduci ex examine interno veritatis.

Obj. Systema veritatum adeo sublime, purum et sanctum, supposita impotentia hominis in cognitione veritatum religiosarum, jam eo ipso arguit ejus originem ex Deo.—**Resp.** Si datur vera disproportionis inter vires intellectus humani et hunc effectum, ita ut hic non explicetur nisi per interventum Dei, jam non est quaestio de criteriis internis, tunc habemus verum criterium externum, id est, quod thesis postulat.

THESIS VI

Criteria interna et subjectiva possunt quidem ut secundaria et auxiliaria magni valoris esse ad confirmandum factum revelationis vel ad mentes hominum disponendas; primaria tamen seu de se et per se sufficientia dici nequeunt; “methodus immanentiae” autem admitti nequit.

NEXUS.—Postquam vidimus in genere condiciones quas debet habere omne criterium Revelationis ad hoc ut sit plene sufficiens, nunc examinamus in specie valorem scientificum singulorum criteriorum quae his condicionibus non sunt praedita.

NOTIONES.—“Secundaria et auxiliaria”, scilicet, illa sola non sufficient criterium certum et sufficiens, sed suppositis primariis habent suam vim, inserviunt ad confirmandum, augent vim primiorum. Duplex munus horum criteriorum: primum est objectivum, scientificum, consistit in confirmatione facti revelationis ex alio capite jam probati (hoc munus competit praecipue criteriis internis); alterum munus est subjectivum, sci-

licet, disponere subjectum ad hoc ut admittat religionem revelatam (hoc munus competit praecipue criteriis subjectivis). Propterea haec criteria maximum momentum habent pro apologesi practica, sed hic unice debemus agere de eorum valore theoretico seu scientifico.

Interna: quae innituntur in qualitatibus seu internis dotibus doctrinae quae dicitur revelata (*Negativa* facile reducuntur ad interna).

Objectivo-subjectiva: quae insistunt in effectibus a doctrina petratis in anima hominis.—*Subjectiva*: quae innituntur in tendentiis, inclinatiobibus et indigentias quas experitur homo et quas doctrina plene satiat.

Methodus immanentiae habet partem negativam, scilicet rejicit methodum traditionalem tamquam ineptam, et partem positivam, quae ita procedit: homo experitur indigentiam seu necessitatem alicuius auxilii extraordinarii et praeternaturalis ad hoc ut intellectus intelligat bene veritates religiosas (*Revelatio*) et ut voluntas agat conformiter cum veritate percepta (*Gratia*): jamvero huic indigentiae optimum remedium praebet religio christiana, ergo haec est revelata.

ADVERSARII.—Asseclae Novae Apologeticae: eorum asserta, cfr. Dieckmann, pg. 65.—Modernismus: expositio systematis ex Enc. Pasendi (Modernista ut philosophus D 2071-80, ut credens 2081-6, ut theologus 2087-95, ut historicus 2096-2100, ut apologeta 2101-4, conspectus generalis 2105-9).

CENSURA.—Falsitas methodi immanentiae quoad partem negativam, de fide definita ex Vat D 1790, 1812, 1813; 2145-2º. Cetera dici possunt certa.

PROBATIO.—*Criteria interna*. Ex se seu per se sola haec criteria non certo probant factum revelationis, unice probant posibilitatem et quandoque probabilitatem revelationis. Ex examine interno alicujus veritatis non potest erui ejus indoles revelata, nam formalitas “esse revelatum” non invenitur inter notas internas illius veritatis. Si veritas pertinet ad ordinem cognoscibilitatis naturalis, ratio nihil potest dicere quoad ejus revelationem; si veritas pertinet ad ordinem mysteriorum, tunc ratio non potest cognoscere nec posibilitatem hujus veritatis. Exemplum: Incarnatione quidem Filii Dei est veritas maximi solatii pro homine, sed ex nudo examine interno hujus doctrinae non possumus deducere ejus veritatem, quia ratio non potest videre positive utrum unio hypostatica naturae humanae cum Persona divina sit posibilis necne; et si non probatur posibilitas, minus adhuc ejus indoles revelata. Praeterea ad examen institendum requiritur ingenium, otium etc: praecise propter difficultates inhaerentes ad inquisitionem rationalem veritatum religiosarum evincitur convenientia Revelationis. Deest etiam norma objectiva in applicatione hujus criterii, nam quis gradus sublimitatis et pulchritudinis requiritur ad hoc ut dicatur doctrina aliqua revelata? Usus exaggeratus hujus cri-

terii dicit ad rationalismum, nam ratio ponitur tamquam mensura in rebus quae sunt supra rationem.

Tamen inserviunt ad confirmandum. Ipsa natura rerum postulat ut postquam probavimus factum revelationis ex criteriis externis, adducantur etiam interna ad probationem undeque completa faciendam.

Crit. objectivo-subjectiva: pax, gaudium, securitas, felicitas et similes effectus quos doctrina aliqua in anima producit. Non sunt criterium certum, nam tales effectus possunt produci a causis naturalibus. Budista potest sentire similes effectus in sua falsa religione, aliquis potest invenire illos in lectio Imitationis Christi et non in lectio Scripturarum. (Si copia lucis, gaudii etc talis est ut revera naturaliter non explicetur et postulet causam praeternaturalem, tunc jam haberetur miraculum, criterium externum).—Tamen haec criteria habent valorem indicii et possunt fundare aliquam probabilitatem.

Crit. mere subjectiva: tendentiae et indigentiae subjecti plene satiantur a religione christiana. Hoc criterium inservit tamquam indicium, habet valorem practicum quatenus disponit subjectum, sed de se non est sufficiens, non potest praebere certitudinem. Valor objectivus est minor quam in criteriis internis. Pro apologia practica multum inservit.

METHODUS IMMANENTIAE.—Blondel: hic rejicit viam traditionalem et statuit aliam, nempe examen ipsius hominis, in quo invenit exigentiam religionis supernaturalis qualis est christiana, ergo amplectenda. Judicium: quatenus rejicit viam traditionalem est haeretica, similiter non potest poni in homine exigentia stricta religionis supernaturalis D 2103.—Labertoniere: de facto homo est destinatus ad ordinem supernaturalem et experitur exigentiam hujus ordinis. Negatur; indoles supernaturalis non potest cognosci nisi per revelationem.—Quod Apologetica traditionalis non inserviat pro nostro tempore, cfr Dieckmann, 285.

THESIS VII

Criterium externum, factum scilicet miraculosum, est unicum criterium revelationis sufficiens et primarium

NEXUS.—Postquam in th. praecedenti vidimus criteria quae de se non sunt plene sufficientia, nunc denique debemus agere de illo criterio quod unice habet valorem primarii, scilicet factum miraculosum.

NOTIONES.—*Factum miraculosum* dicimus in genere ut comprehendamus diversas species miraculi, nempe miracula *physica*, *intellectualia*

et *moralia*, nam “miraculum” in sensu strictissimo vocari solet miraculum physicum.

Definitio facti miraculosi: “*Opus sensibile praeternaturale divinitus factum*”. Id est, effectus quilibet in natura sensibili, qui possit sensibus apprehendi. Praeternaturale: ille effectus non sequitur cursum ordinarium naturae. Vocatur cursus ordinarius naturae modus constans agendi rerum; hic modus constans est consequentia legum physicalium, quarum existentia et cognoscibilitas probatur in Cosmologia. Praeternaturalis est ergo ille effectus qui non fit secundum has leges, ratio adaequata talis effectus non inventitur intra ambitum harum legum et virium naturae. Breviter: effectus adaequatus est extra causalitatem naturae. Res creatae possunt exercere quidem suam causalitatem, sed haec non sufficit ad explicandum illum effectum; effectus superat vires naturae.—Divinitus factum: opus illud praeternaturale factum est a Deo; excluduntur proinde facta praeternaturalia quae fortasse fiant a diabolo vel angelis malis —si sint; ab hoc Theol. Fund. methodice abstinet—; parum interest utrum aliqua miracula patrentur immediate non a Deo sed ab angelis bonis, nam cum hi sint ministri et instrumenta Dei, tandem aliquando ipsi Deo tribuuntur.

Cum haec praecipue valent de miraculo physico, dicamus etiam aliquid de aliis speciebus miraculi. *Miracula intellectualia* vocantur effectus praeternaturales quos Deus patrat in intellectu hominis et quatenus aliis manifesti fiunt possunt inservire tamquam criterium *Revelationis*; revera, disproportio inter effectum et vires intellectus humani postulat interventum praeternaturalem. Inter miracula intellectualia numerantur: Sapientia mirabilis, cognitio rerum absentium, scrutatio cordium, cognitio futuri liberi. Haec ultima, quando datur praedictio, vocatur *vaticinium seu propheta* et eminet inter omnes propter valorem apologeticum.

Miracula moralia sunt effectus a Deo patrati in voluntate hominis; miraculum apparet ex disproportione inter effectum et capacitatem naturalem voluntatis. Exempli causa, conversio mirabilis, sanctitas heroica, constantia martyrum. Differentia quae viget inter miraculum physicum et morale: ibi datur exceptio legum physicalium, hic impletio perfectissima legum vitae moralis, sed adeo perfecta ut sit contra modum communem agendi hominum et ob hanc causam postulat interventum Dei.

Denique sunt etiam *actiones miraculosaes mere spirituales*, nempe quae consummantur in facultatibus animae et non fiunt sensibiles neque in effectibus. De his *Mystica*. Sunt criteria pro illis qui accipiunt, pro aliis tantum indirecte ex testimonio illorum. Sed quoniam non facile constat eorum indoles praeternaturalis, considerantur tanquam secundaria.

ADVERSARII.—Rationalistae, Agnostici, Deterministae et Contingentistae: hi omnes negant possibilitatem et cognoscibilitatem miraculi.—As-

seclae Novae Apologeticae et Modernistae: hi negant ejus valorem tamquam criterium Revelationis.

CENSURA.—Posibilitas et cognoscibilitas miraculi, de fide definita, D 1812-13. Ejus valor ut criterium, de fide definita, D 1813, 1790, 2145-2^o. Quod sit unicum criterium sufficiens et primarium: certum.

PROBATIO.—Probamus 1^o posibilitatem, et 2^o cognoscibilitatem per quadruplicem veritatem.

Posibilitas.—Potest dari exceptio in legibus naturae? Existunt leges physicae et possunt definiri: inclinationes rebus inditae constantes quibus earum operationes et mutationes, quoties eadem recurrent condiciones, secundum modos constantes et uniformes efficiuntur. Sed quaeritur, quaenam est necessitas harum legum? Aliis verbis, potest Deus agere immediate in mundo ab Ipso creato? Potest ob fines superiores immutare in aliquo casu cursum naturalem quem ipse decrevit, ut ita manifestetur hominibus? Pro illo qui admittat Deum personalem, creatorem, infinite perfectum, responsum est obvium. Rationabilitas hujus exceptionis appareat quia Deus immutat cursum naturae inferioris propter hominem, ut hic agnoscat Ipsum.

Cognoscibilitas.—*Veritas historica.* Haec consistit in probanda historicitate facti ut probatur in quolibet alio facto historico, ita ut perniamus ad plenam certitudinem historicam illud factum configuisse. Jamvero hoc esse possibile est evidens.

Veritas philosophica. Consistit in probanda indole praeternaturali illius facti historici. Ad hoc debet constare existentia alicuius legis naturalis et ejus exceptio in casu, id est, vires naturales non explicare illum effectum. Si revera non certo probatur indoles praeternaturalis alicuius facti, non inservit ut criterium.

Veritas theologica. Quod Deus, non angelus malus, sit auctor illius effectus praeternaturalis. Repugnat attributis Dei non dare homini modum ad hoc ut discernat inter opera diaboli et opera Dei, quia homo induceretur in errorem quasi necessario. Et revera, examen internum ipsius facti: objectum et finis miraculi, modus patrandi, media etc ostendet nobis posibilitatem actum illum posse tribui Deo vel non (criterium internum negativum).

Veritas relativa. Quod miraculum illud sit testimonium divinum veritatis revelationis. Factum praeter naturale divinum est unicum medium probandi veritatem revelationis, propterea quasi instinctive omnes religiones provocant ad miracula. Nexus inter miraculum et revelationem potest esse explicitus, v. gr. cum legatus divinus provocat ad miracula ad probandam veritatem suaे praedicationis vel missionis; vel implicitus, v. gr. cum miracula apparent tamquam fructus religionis revelatae D 1794.

(Obj.) Revelatio, cum sit factum praeter naturale, non poterat esse criterium sui ipsius? Minime, quia praeceps agitur de agnoscenda indole praet-

ternaturali illius locutionis et hoc ex ejus consideratione interna erui non potest).

Applicatio ad diversas species miraculi.—Miraculum (physicum) et prophetia habent maximum valorem tamquam criteria Revelationis. Aliae species miraculi intellectualis et moralis non adeo facili le possunt dignosci tamquam miracula, quia deest nobis mensura seu norma objectiva quoisque perveniat potentia naturalis hominis; non facilime erit recurrentum ad interventum Dei. Attamen in aliquibus casibus potest perveniri ad argumentum certum.

(Cfr. "Milagro sin determinismo", Pensamiento, V(1949), pg. 175).



Tractatus II

DE JESU CHRISTO LEGATO DIVINO

Debemus jam inquirere utrum Iesu Christus attulerit nobis veram Revelationem, de cuius notione, possibilitate et dignoscibilitate in genere egimus in tractatu praecedenti. Quoniam agitur de facto historico, methodus et via debet etiam esse historica. Fontes sumuntur ut historici, abstractione facta ab eorum indole inspirata. Tractatus recte dividitur in quatuor sectiones vel capita: 1^a Valor historicus fontium historiae Iesu Christi (thesis I-III); 2^a Testimonium Iesu Christi de seipso (thesis IV-VI); 3^a Argumenta quibus veritas hujus testimonii probatur (thesis VII-XII); 4^a De aliquibus signis divinis in opere Christi seu religione christiana lucentibus (thesis XIII-XVI). Et ita completa habetur tota materia. At partes centrales et vere propriae hujus tractatus sunt 2^a et 3^a.

THESIS I

Quatuor nostra Evangelia sunt opera vere genuina.

NEXUS.—Quoniam debemus inquirere testimonium et argumenta Christi de sua divina legatione, ante omnia opus est determinare valorem historicum fontium ex quibus hauritur notitia de Jesu Christo. Hi fontes historici dividuntur in judaicos, ethnicos et christianos. Fontes judaici: scripta rabbinica continent multa in quibus appetit odium auctorum contra Christum, sed destituta sunt omni valore historico, sicut et ipsi judaei moderni concedunt; tamen sufficiunt ad probandam existentiam historiam Christi. Sunt praeterea duo testimonia Flavii Josephi: in priori fuisse agit de Christo, in altero quasi pertransendum. Acriter disputatur de genuinitate prioris.—Testimonia ethnica in saec. I non sunt: quid dicendum de his qui mirantur de hoc silentio. Testimonia saec. II reducuntur ad epistolam Plinii ad Trajanum et ad breves textus Taciti et Suetonii. Quid possumus eruere de his.—Fontes christiani: canonici et extracanonici. Evangelia apocrypha probabiliter nihil historici continent praeter quam quod ex canonicis hauserunt. Papias, Hegesippus etc habent aliqua pauca quae videntur fide digna. Inter scripta canonica S. Paulus habet in suis epistolis non pauca de vita et factis historicis Jesu. Falsificationes: Epistola Lentuli, Epistola Eseniorum, Epistola Benan. Fons praecipius et fere unicus, ut patet, sunt Evangelia: de horum fontium valore debemus agere et nunc quidem primo de eorum genuinitate.

NOTIONES.—“Evangelium”: bonum nuntium, bonum nuntium salutis nessianicae, doctrina Christi, tota vita et historia Christi, denique libri in quibus haec historia continetur.

“Quatuor”, scilicet quae Ecclesia habet ut recepta.

“Genuinitas” alia est stricta, alia lata. Lata dicitur cum aliquis liber est illius temporis seu aetatis cui tribuitur, quamvis non sit auctoris cui communiter attribui consuevit. Stricta, cum revera habet auctorem illum cui tribuitur. Nos defendimus strictam.

ADVERSARI. — Omnes theoriae modernorum acatholicorum hoc habent commune: Naturalismum philosophicum, hoc est praesuppositum fundamentale omnium theoriarum. Pro Naturalismo intelligimus systema quod omnia quae in mundo nostro aspectabili fiunt, causis intramundanis attribuit, id est, excludit omnem possibilem interventum alicujus entis extramundani; praeter naturale a priori rejicitur ut impossibile. Proinde fontes debent juxta haec placita interpretari.

Dabimus hoc loco conspectum theoriarum praecipuarum de Evangelii et de Christo:

1) *Theoria fraudis*: Reimar (1694-1768) et Lessing: Jesus fuit Messias politicus a Romanis capite damnatus, sed eū discipuli ad hoc ut haberent modum vivendi consulto finixerunt miracula; fundationem religionis etc

2) *Th. naturalistica*: Paulus (1761-1851): est nucleus veritatis in Evangelii, sed facta sunt plus minusve alterata vel transformata, nam homini inest tendentia sublimandi viros egregios, ergo omnia facta miraculosa debent explicari naturaliter.

3) *Th. piarum tendentiarum*: Baur (1792-1860): in Ecclesia primaeva erant duae factiones inter se oppositae: petrini et paulini. Evangelia exorta sunt ad defendendam unam vel alteram factionem vel conciliationem duarum partium, quare non sunt scripta fide digna sed critice interpretanda.

4) *Th. mythica*: Strauss (1808-1874): in evangeliis inveniuntur multa mythica, non historica, desumpta ex ideis messianicis Veteris Test. vel etiam ex fabulis paganismi. Figura Jesu depingitur secundum expectationem messianicam illius aetatis. Evangelia sunt opera serius conscripta.

5) *Th. psychologica*: R. Otto: Jesus fuit homo praeditus sensu religioso extraordinario, quare expertus est et fecit multa quae aliis hominibus sunt impossibilia, sed tantum differt a nobis gradu.

6) *Th. pathologica*: Binet-Sanglē, De Loosten, Baumann: Persona Jesu explicanda est juxta leges et normas pathologiae.

7) *Negatores existentiae Jesu*: Drews (1909) et Couchoud (1924): Christus non est nisi elaboratio aliqua conscientiae christiana, quia non potest explicari hominem aliquem tam cito fuisse adoratum tamquam deum.

8) *Th. criticismi*: Harnack, Sabatier, Meyer: concedit genuinitatem saltem latam Evangeliorum et multa narrata esse historica, sed auctores exaggerant et idealizant aliquantulum imaginem Jesu.

9) *Th. morphologica*: Bultmann, Dibelius, Bertram: traditio oralis, sese evolvens, denique collecta est in Evangelii; hodie est valde difficile determinare nucleus veritatis qui sub his relatis latet. Opus mussivum...

Praeterea, fere omnibus rationalistis communis est *hypothesis duorum fontium*: Mc scripsisset opus simillimum hodierno evangelio Mc, continens opera seu miracula Christi; Mt scripsit aliud opus (hodie deperditum, et multum insudatur in eo inveniendo) quod praecipue continebat verba Domini. Ex his duobus conflatis orta sunt Evangelia actualia. Actualis Mt habet multa ex primitivo opere Mt, etiam Mc ex primitivo opere Mc, genuinitas Lc etiam generatim conceditur, Joannis vero ab omnibus negatur.

Modernistae sequuntur in re placita rationalistarum: Christus historiae et Christus fidei, D 2071, 2076, 2084, 2086, 2088.

CENSURA.—Genuinitas Evangeliorum apologetice et historice probata, est doctrina cathol. ex resp. Comm. Biblicae (harum valor D 2113):

no in infantes

D 2110, 2148, 2155. In his responsionibus indicatur methodus adhibenda in hac quæstione solvenda; sane via critica ad detegendum auctorem alicujus libri est consulere traditionem externam seu testimonia coaevorum; criteria interna sunt minoris momenti, sed adhiberi possunt ad confirmationem. Cfr D 1946. Methodus antiscientiphica rationalistarum in hac quæstione.

PROBATIO.—Investigandum est quid dicat traditio antiqua de hac re, quibus auctoribus tribuat Evangelia.

A) *Testimonia explicita* ex diversis et inter se dissitis Ecclesiis. Alexandrina: Clemens, Origenes, R 439, 474. Africana: Tertull. R 339 ss. Romana: Murat. R. 268. Asia-Lugd.: Irenaeus, discipulus Policarpi, qui fuit Joannis, R 208, 214-15. Justinus R 128-9, 143. Denique S. Papias c. a. 130, R 94-5: momentum et interpretatio hujus testimonii, quid de Joanne Presbytero, quid de sermonibus Domini quos Matthaeus conscripsit dicat. Conclusio: a. 150 in universa Ecclesia vigebat unanimis persuasio quatuor Evangelia conscripta fuisse ab auctoribus quibus nunc attribuuntur, et quomodo oriri potuit haec persuasio nisi haberet fundamentum in rei veritate?

B) *Allusiones* et citationes Apostolicorum: Didache, Epistola Barnabæ, Clemens ad Cor., S. Ignatius, Policarpus... Aliqua possent explicari ex traditione orali, sed alias expresse addunt: "scriptum est". Saltem probant genuinitatem latam.

C) Ipsi auctores gentiles et haeretici ultro concedunt genuinitatem: Celsus, Marcion, Valentinus R 214.

D) *Versiones* antiquae semper tribuunt quatuor nostris auctoribus. Latina vetus (f.s.II), Peshito, Diatessaron.

E) Codices et lectionaria semper tribuunt nostris auctoribus.

Cumulus ingens testimoniorum. Nunquam genuinitas alicujus operis antiqui fuit adeo bene probata. Sed quoniam ad infirmandum valorem historicum horum operum multum interest ostendere illa fuisse serius conscripta, propter hoc incredibiles conatus Rationalistarum, sed vano.

Aliqua *interna* ad confirmationem. Examen internum Mt confirmat illa quae ex traditione externa scimus de origine hujus Evangelii. Id. quoad Mc Lc et Jo. Pariter examen internum ostendit opera pertinere ad illam aetatem cui tribuimus ea; hoc revera fatetur Harnack: "epocha palaeontologica Christianismi", assertio Strauss circa existentiam multi mythici in Evangelii nullo modo probatur.—Ex eo quod duo auctores non sint neque Apostoli nec testes oculati et Mt non magnae notae, magnum indicium est pro veritate hujus attributionis.—De tempore et ordine compositionis uniuscujusque Evangelii.—De quaestione joannea.

THESIS II

Quatuor Evangelia servantur a nobis substantialiter integra

NEXUS.—Scimus jam nostra evangelia conscripta fuisse a Mt Mc Lc et Jo. Sed adhuc manet quaestio: haec opera servantur a nobis sicut prodierunt e manibus auctorum vel decursu temporis ita corrupta sunt ut jam non sit posibile restituere textum primigenium?

NOTIONES.—“Integer”: agendo de libro aliquo dicitur cum servatur ab omni adulteratione immunitis (interpollatio, subtractio, corruptio...) Integritas potest esse substantialis vel absoluta.

Integritas “substantialis” habetur cum liber servatur integer in his quae pertinent ad substantiam rei narratae, quamvis adsint aliquae mutationes accidentales. “Absoluta” habetur cum liber servatur integer quoad omnia. Nos non defendimus absolutam, quia hoc esset impossibile inter tot transcriptiones; praeterea non exstant originalia autographa quae permitterent restitutionem integritatis absolutae.

ADVERSARI. — Cfr. theorias in th. praecedenti.

CENSURA.—Doctr. Cath. D2015, 2151-4-6.

PROBATIO.—Evangelia nostra coincidunt cum evangeliis saec. IV. Exstant codices saec. IV et ex comparatione appareat identitas substantialis. Sunt quidem plurimae lectiones variantes (plus quam verba habet Novum Test.) sed reducuntur ad menda amanuensium; quae sensum aliquo modo afficiunt sunt 200, magni momenti tantum 15, ergo longe major pars textus critice restitui potest.

Evangelia saec. IV coincidunt cum evangeliis s. II. Hoc quomodo potest probari, cum non sint codices s. II? Sunt aliqua fragmenta papyrorum e saec. II. Praeterea s. II et III factae sunt versiones syriaca, itala vetus et coptica: textus harum versionum substantialiter idem est ac textus hodiernus noster. Praeterea Patres s. II et III plurimas habent citationes evangeliorum in suis scriptis (Justinus, Clemens Alex., Origenes...) et textus harum citationum substantialiter idem est ac textus nostrorum evangeliorum. Et patet conclusio: si omnes hae versiones et citationes coincidunt, signum est quod eorum originalia coincidebant, quod fieri non potest nisi jam a longo tempore procederent ab aliis aequalibus. Et ita ascendimus jam usque ad ipsa tempora evangelica, cum ipsi apostoli invigilabant ut haec opera non adulterarentur; et postea, elapsi jam tempore, omnis alteratio alicujus momenti erat impossibilis, quia erant innumera exemplaria et legebantur publice et mutare omnes erat impossibile.

(Cfr. modernas editiones criticas Novi Test., e. gr. Merk, Bover. Textus graecus critice restitutus est, ita ut cum certitudine morali sciamus

nos habere hodie textum primigenium auctorum. Cfr Leal, Valor histórico de los Evangelios, pg. 167).

THESIS III

Quatuor Evangelia sunt credibilia, saltem quoad substantiam

NEXUS.—Remaneat adhuc ultima quaestio: quam fidem merentur Evangelistae in his quae narrant. Jam vero haec pendet a scientia et veracitate scriptoris.

NOTIONES.—“Credibilia”: fide digna quia utraque conditione ad fidem humanam merendam (nempe, scientia et veracitate) ornata apparent.

“Quoad substantiam”, i.e. in essentialibus eorum quae narrant, nempe Jesum dixisse ipsum esse Messiam a prophetis praenuntiatum, fecisse multa miracula, praedicasse doctrinam religiosam pro toto mundo, mortuum esse et resurrexisse, etc. Utrum sint immunes ab omni errore vel falsitate, etiam in rebus minimis, hoc apologetice non potest probari nec requiritur, quia hic praescinditur seu methodice ignoratur qualitas inspirata horum librorum, et considerantur sicut quilibet liber historicus.

ADVERSARII.—Cfr. conspectum th. in th. 1^a

CENSURA.—Doctr. Cath. D2112-13-14, 2153, 2163.

PROBATIO.—*Ex scientia et veracitate auctorum.*

Scientia. Evangelistae vel erant testes immediati eorum quae nobis narrant vel ea facile haurire poterant ex testibus fide dignis. Mt fuerat testis oculatus fere omnium quae narrat. Mc voluit reproducere prædicationem Petri. Lc diligenter investigavit omnia quae narrat, inquirendo ab Apostolis. Jo fuit testis oculatus omni exceptione major. Porro facta narrata erant publica, facile percipi poterant, etiam a rudibus.

Veracitas. Deerant motiva mentiendi, nam quid poterant expectare ex tali fraude? Persecutionem et mortem in hoc mundo, condemnationem in altera vita. Praeterea judaei facile poterant detegere falsitatem.

Gratis asseritur evangelistas depingere figuram Jesu idealizatam. Potius examen internum convincit contrarium: narrationes simplices in quibus totum studium ponitur in dicendis rebus prout acciderunt, neque omittuntur illa quae difficultatem poterant facere ad fidem in Christum, divinitas Christi non extollitur, “archaismus doctrinae” appetit; praeterea historicitas confirmatur in multis ex documentis extraevangelicis. Insuper, independentia 4 evangelistarum multum auget credibilitatem, nam clare appetit inter se non consensisse ad hoc ut non essent divergentiae. Figuram Jesu taalem qualem depingitur in Evangelii non posse esse fic-

tionem seu inventionem Evangelistarum, facile conceditur ab ipsis Rationalistis.

(Cfr. Leal, O.C., pg. 199 s.s., rem optime tractat)

De credibilitate Jo in specie. Indicationes topographicae et chronologicae hujus Evangelistae)

Breviter: habemus libros maxima auctoritate historica humana gaudentes, utpote a testibus rebus immediatis conscriptos, sed quoniam in his narrantur multa praeternaturalia rejiciuntur vel *interpretantur* a naturalistis. Revera Jesus est inexplicabilis pro rationalistis: homo habitus ut Deus ab ipsis coaevis (cfr Rom 9,5), patrator miraculorum quae historice constant... Ex hoc vana tentamina ad ostendendum haec opera serius fuisse conscripta vel quoquo modo ad infirmandum valorem historicum. Logice aut admittitur integre eorum testimonium aut rejici debet valor omnis testimonii historici.

THESIS IV

Idea et expectatio messianica, late sparsa in libris Veteris Testamenti, constituit velut centrum religionis israeliticae.

NEXUS.—Postquam statuimus valorem historicum Evangeliorum, nunc jam debemus inquirere quodnam testimonium protulit Jesus de Seipso secundum hos fontes. Jamvero testimonium Jesu de seipso recte reducitur ad assertionem suae messianitatis et filiationis divinae. Sed antequam tractemus de testimonio messianico Jesu, quoniam haec idea Messiae desuma est ex Vet. Test., breviter agere debemus de ipsa notione Messiae in V.T. et considerare momentum hujus ideae in religione israelitica. Ita etiam apparebit relatio et nexus qui intercedit inter religionem christianam et israeliticam et via paratur ut facilius intelligantur quae Jesus de sua messianitate dixit.

NOTIONES.—Ut ipsi rationalistae agnoscunt, populus Israel cum sua religione constituit aliquid singulare et mirum inter omnes religiones quae fuerunt ante Christum. Tres ideae sunt velut praecipuae et characteristicae hujus religionis: 1^a Monotheismus, 2^a Foedus singulare quod intercedit inter Deum et populum Israel, 3^a Expectatio messianica.

Monotheismus ethicus et purus servatus est non obstante inclinazione populi ad idolatriam, ope praesertim prophetarum, scilicet virorum qui tamquam legati a Deo missi cum sua praedicatione arcebant populum a cultu idolorum et a transgressionibus legis moralis.—Tam in praedicatione prophetarum quam in ceteris Scripturis V.T. late sparsa

apparet etiam idea foederis particularis quod intercedit inter Deum et Israel; atque similiter dici debet de idea messianica, scilicet idea alicujus legati Dei extraordinarii qui afferre debet salutem pro toto mundo. Haec idea tam arcte et radicitus inserta est religioni israeliticae ut dici debeat quasi anima et centrum hujus religionis. Est religio tota quanta versa ad Personam Messiae cum suo regno et bona messianica promissa.

“Messias”: Unctus Jahve, Rex aliquando futurus qui debebat afferre bona divina, salutem Dei.

ADVERSARII.—Rationalistae agnoscent factum, sed nequeunt admittere originem et indolem praeternaturalem ideae messianicae. Idea messianica vel naturaliter orta est vel ex aliis populis desumpta.

CENSURA.—Existentia vaticiniorum messianicorum in V.T., doctr. cath. ex Resp. Comm. Bibl. D2115, 2136.

PROBATIO.—Dabimus hic brevem conspectum praecipuorum locorum.

Jam in ipso limine Sacrae Scripturae habemus protoevangelium, sic dictum quia continet primum nuntium salutis messianicae: *Gn* 3, 15: alius ex muliere nasciturus vincet malum.

Gn 12, 1-3 Vocatio Abrahæ (a. 2000 a. Ch.). Deus seligit hunc Patriarcham ut in ejus progenie servetur agnitus Dei veri et ipsi promittit salutem pro toto mundo ex sua stirpe futuram esse. En habemus ideas fundamentales religionis israeliticae.

Gn 49, 8-12 prophetia Jacob. Sensus videtur esse: tribus Juda, ex quo assumet principatum vel superioritatem quandam in Israel (quod accidit tempore David), retinebit hanc superioritatem usque ad Christum, qui jam non tantum supra tribus Israel, sed supra omnes gentes habebit principatum.

Propheta Balaam, *Num* 24, 17.

Messias Prophetæ, *Dt* 18, 15 (tempore Moysis, a. 1500 a. Ch.)

2 Sam 7, 11-17 Prophetia Nathan ad David (a. 1000). Regnum non auferetur e domo David. Sermo est de tota posteritate David, incluso Christo in quo et cum quo perpetuatur dignitas regia in domo David.

Ps 2, 44 et 71. Majestas regia Messiae et gloria regni messianici.

Ps 109. Messias Sacerdos. Deus facit illum sedere ad dexteram suam

Ps 21 Messias loquitur de propria Passione et de fructibus talis Passionis.

Ps 15 Resurrectio Messiae

Isaias propheta (a. 700 a. Ch.) De virgine paritura 7,14. De parvulo nascendo 9, 1-7. Virga de radice Jesse et pax messianica, 11, 1-6. Servus Jahve mansuetus, repletus Spiritu Dei et positus in lucem gentium, 42, 1-7. Vocatio universalis Servi Jahve, 49, 1-7. Passiones Servi Jahve, 50, 4-9. indoles expiatoria passionum Servi Jahve, 52, 13-53, 12.

Micheas, 5, 2-6. Orietur ex Betlehem.

Jeremias (a. 600) Novum foedus, 31,31; 32,36 ss Messias orietur ex stirpe David, 23, 5.

Ezechiel (a. 570) Novum foedus, 11, 17. Foedus pacis, 34, 23. Messias Pastor, 37, 23.

Daniel. Visio filii hominis cui datum est regnum aeternum, 7, 13.

Zacharias. Messias humilis, pacificus, sedens super asinam, 9, 8-10.

Plangent in quem transfixerunt, 12, 10.

Malachias. Novum Sacrificium, 1, 11. Messias ingredietur secundum Templum, 3, 1.

Breviter: Messias describitur exercens tria numera, scilicet regis, doctoris, sacerdotis. Similiter debet afferre tria bona his muneribus correspondentia: curam habebit hominum tamquam pastor gubernat gregem; dabit hominibus cognitionem plenam Dei; afferet veniam et gratiam Dei. Haec sunt bona messianica vividis coloribus depicta in libris V.T. Ita spes messianica semper vivida servata est in populo Israel, ut constat ex ipsis libris apocryphis paulo ante Christum conscriptis, ut liber Henoch, IV Esdrae etc Immo dicendum: Religio Israel, a Deo revelata, non habebat alium finem nisi hunc: servare inter homines memoriam veri Dei, culpae primi hominis et salutis et veniae a Deo promissae et quam debebat afferre aliquis Rex ex stirpe David, unctus spiritu Jahve.

THESIS V

Jesus Nazarenus testatus est se esse Messiam a prophetis praenuntiatum

NEXUS.—Postquam vidimus ideam et expectationem messianicam in V.T., nunc debemus examinare testimonium Jesu de sua messianitate. Ipsum nomen "Christi" nihil aliud significat nisi quod Jesus est Christus seu Messias expectatus; et nostra religio ideo vocata est "christiana" quia ipsa considerata est ut regnum messianicum et impletio vaticinorum V.T.

NOTIONES.—Quid intelligimus pro Messia et quid habeatur de ipso in libris V.T. constat jam ex th. praecedenti. Hic vero juvat aliquid dicere de diversis opinionibus quae tempore Jesu sparsae erant circa Messiam. Juxta plurimos Messias debet afferre abundantiam bonorum temporalium et liberare iudeos a jugo romanorum. Ipsi apostoli et discipuli Jesu has ideas habuerunt, cfr Lc 24, 21; Act 1, 6; appetunt prima loca in regno messianico Mt 18, 1; 20, 20; abhorrent a mysterio crucis, Mt 16, 21; 17, 22. Etiam tentationibus Jesu subest haec idea messianica terreno-politica: 1^a prosperitas terrena, 2^a sese exhibere gloria circumfulsus,

3^a imperium universale. Aliqui dicebant Messiam debere sese manifestare apparitione aliqua gloria; propterea petunt a Jesu signum, ad instar phoenomeni caelestis, Mt 12, 38. Haec fuit 2^a ex temptationibus Jesu. Coeteroquin rabbini putabant Legem mosaicam esse adeo perfectam ut neque Messias habebat ullam auctoritatem supra illam.

Sed nunquam defuerunt in Israel qui haberent conceptum rectum Messiae sicut videre est primis capitibus Lc. Zacharias: rex qui liberabit populum ut serviat Deo perfectione vitae, venit ad redimendum. Annuntiatio Virginis: rex qui hereditabit thronum David, nomen Jesu quia salvum faciet populum a peccatis. Pastoribus annuntiatur tamquam Salvator. Simeon illum extollit tamquam Salvatorem, Magistrum et Redemptorem pro toto mundo. Maria vero conservabat omnia haec in corde suo.

ADVERSARII.—Primi rationalistae negaverunt Jesum sese considerasse Messiam: Strauss, Volkmar... Wrede (1906) asserit fidem in messianitate Jesu ortam esse in discipulis post mortem Jesu, nempe cum persuasum est eis Jesum resurrexisse; ita explicatur quod in Mc Jesus non publice manifestat suam messianitatem sed habet illam occultam et nequi ipsi discipuli intellexerunt ante Resurrectionem. Sed major pars criticorum habent ut factum indubitate Jesum sibi tribuisse dignitatem messianicam: Julicher, Harnack... Cum ipsi sint rationalistae conantur explicare quomodo orta sit haec persuasio in Jesu et fere omnes admittunt aliquam evolutionem in conscientia messianica Jesu. Jesus habuit sensum religiosum vividum, experiebatur Deum tanquam patrem suum modo aliquo peculiari; in baptismo persuasum est ei audivisse vocem de coelo et ita credidit se esse Messiam. Postea habuit aliqua dubia (temptationes), sed tandem succedit omnimoda securitas de suo munere messianico. Jesus vero habebat conceptum valde purum et spirituale de Messia ejusque opere et initio vitae publicae putavit se posse convincere plebem et attrahere ipsam ad suum conceptum purum et religiosum; postea vidiit hoc non esse possibile, quia plebs sequebatur suos duces pharisaeos et tunc praevidebat pericula et mortem quae ei imminebant; ita explicatur quod loqueretur de sua passione et sese retraheret a populo. In agonia Getsemani apparet summa depressio animae Jesu ob hoc motivum.—Secundum escathologistas Jesus existimavit futurum esse Messiam, nondum erat, sed quondam apparitum esse magna gloria circumfulsum ad instituendum suum regnum: ita Baldensperger, Schwitzer, Loisy et multi alii, inter quos Modernistae D2033.

CENSURA.—Doctr. cath. ex Decreto Lamentabili D2028, 2035.

Thesis habet duas partes.

PROB. I PARS: Quod Jesus sese habuit tamquam Messiam.

1. *Ex titulis messianicis quos alii tribuunt ei et ipse admittit et confirmat.* Revera si Jesus invocatus ut filius David sanat aegrotos vel accipit appellations messianicas in ingressu urbis, habet eas tamquam legi-

timas. Si interrogatus a discipulis Joannis provocat ad vaticinia messianica in ipso impleta, hoc est dicere ipsum esse Messiam. Praeterea totus modus sese gerendi, tota praedicatione et doctrina circa regnum Dei, agnitione quam ipse provocavit occasione introitus urbis Jerusalem, confessio Petri ab ipso provocata et postea laudata, sunt testimonium clarissimum hujus conscientiae messianicae.

Sed videamus jam singulos titulos:

Messias. Jo 1, 41 Jesus benigne accipit illos qui ita sentiebant de ipso. Jo 4, 25 Mulieri Samaritanæ explicite et diserte asserit.

Christus. Daemoniaci Lc 4,41. Petrus Mt 16,15. Venient nomine meo dicentes: Ego sum Christus Mt 24,5. Vita aeterna consistit in agnoscendo Jesum tamquam Christum Jo 17,3. Ad interrogationem Summi Sacerdotis, Mt 26, 63. Irrisiones ob hanc causam Mt 27, 68.

Rex. Messias expectabatur tamquam Rex magnus (cfr Mt 2, 2). Voluerunt rapere Jesum et facere eum regem Jo 6, 15, tamquam Rex acclamatur in ingressu Urbis Lc 19, 38. De suo regno et potestate regia loquitur coram solis discipulis Mt 13,41 et 25,31. Coram Pilato diserte affirmat dignitatem regiam Mt 27, 11. Irrisio militum Mt 27, 26, et plebis Mt 27, 42. Titulus crucis Mt 27, 38.

Filius David. Caeci Mt 9,27. Mulier chananaea Mt 15, 22. Cum populus, ob miracula, dicit "Numquid hic est filius David?" (Mt 12, 23) et pharisaei conantur hanc ideam plebis suffocare, Jesus eos accusat de peccato gravissimo. Agnitione in ingressu urbis fuit provocata ab ipso Mt 21, 9; repletum Templum salutationibus messianicis et Jesus ea confirmat Lc 19,40.

Venturus (erjomenos potest interpretari: ille qui venit in nomine Jahve vel ille qui venturus est juxta quod est prophetizatum: uterque sensus est messianicus). Turbae Jo 6, 14, Martha Jo 11, 27 (in textu graeco), Legatio Baptista Mt 11,3, et responsio Jesu (evangelizantur: bonum nuntium salutis messianicae).

Agnoscit Baptista esse Eliam qui debebat praecedere Messiam, ergo ipse est Messias Mt 17, 12. Praedicat adventum regni messianici Mt 4, 17. Breviter: si aliquid potest deduci ex fontibus est praecise hoc: Jesum tamquam Messiam habitum fuisse et ut talem sese manifestasse. Et hoc jam ab initio vitae publicae: Baptismus, Tentationes, initium prædicationis et miraculorum (cfr cap. 1 Mc).

2. *Ex titulo "filii hominis" quem Jesus sibi ipsi tribuit*. Ad designandam suam Personam Jesus saepissime adhibet hanc expressionem: "filius hominis". Videamus quid significet hic titulus in ore Jesu. De se filius hominis est expressio aramaica et nihil aliud vult dicere nisi "homo, individuus speciei humanae". Sed aliquid peculiare sonat in ore Jesu, nam unice adhibet illam agendo de seipso, cum simpliciter ceteros vocat "homines". Videtur Jesum asumpsisse hanc appellationem ex loco messianico Dn 7, 13; certe expressio passim adhibetur in V.T. sed tantum ad

significandum nudum hominem; locus vero Dn certissime est messianicus. Quidquid sit de hoc, in ore Jesu haec expressio habet sensum messianicum. Videamus aliqua loca ex synopticis et S. Joanne.

Responsio Jesu ad Summum Sacerdotem Mt 26, 64: alludit ad Ps 109,1 et Dn 7, 13. In sermone apocalyptic Mt 24, 30. De hac gloria filii hominis sermo est jam in primo vaticinio suae passionis Mt 16, 27. Filius hominis debet pati, occidi et deinde resurget Mc 8,31. Ergo filio hominis convenit tam status gloriosus futurus quam status patiens et humilis quem tunc habebat. Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata Mt 9, 6; est dominus sabbati Mt 12,8. Ex his omnibus clare apparet hoc nomen includere dignitatem messianicam. In Jo vero includit et praexistentiam hujus Messiae ac proinde clare insinuat divinitas hujus filii hominis. Caro et sanguis filii hominis sunt verum alimentum ad vitam aeternam Jo 6,27; descendit de coelo hic filius hominis 3,13, post passionem iterum reddit accipere gloriam quam ante habuerat 17,5. Filius hominis scala inter coelum et terram per quam ascendunt et descendunt angeli 1,51 (allusio ad Gn 28,12). Id est, Messias Deus-Homo.

PROB. II PARS: Quod Jesus voluit esse Messias *in sensu prophetarum* probatur ex eo quod Jesus rejicit ceteras ideas messianicas ut falsas.

a) Messianismus mere escathologicus. Certe Jesus loquitur de suo adventu gloriose, sed vult haberi ut Messias etiam tunc, tempore vitae praesentis. Passio et tormenta convenient huic Messiae Lc 17,25, venit ut daret animam in redemptionem Mt 20, 28; 26, 28.

b) Messianismus legalis. Lex erat pro rabbinis aliquid definitivum et perfectum. Contra hos Jesus describit regnum Dei ut donum Dei gratuitum omnibus hominibus datum, instituit novum foedus in substitutionem veteris. Vocatio universalis Mt 28, 18; Jo 10,16. Israel rejicitur Mt 21, 43. Novum foedus, Mt 26, 28.

c) Messianismus vulgaris seu politicus. Contra falsas ideas vulgi praedicat indolem religiosam regni Dei. Contra cupidinem rerum terrenarum vocat "beati" pauperes Mt 5, 3. Suum regnum non est de hoc mundo, Jo 18, 36.

Apparet velut processus seu gradatio in manifestatione messianitatis. Et ratio est clara: quoniam vulgus habebat ideam valde terrenam de Messia, Jesus caute procedere debuit. Cum voluerunt eum facere regem; fugit Jo 6, 15. Similiter post miracula plurima patrata Capharnaum Mc 1, 35. Vetat divulgationem sanationis Mc 1, 43; Mt 9, 30; Mc 5, 43; 7, 36; 8, 26. Imponit silentium daemoniacis Mc 1, 25; 1, 35. Prohibitiones ad apostolos Mt 16, 20; 17, 9. Ut apparet, non erant prohibitiones definitivae sed ad tempus, propter circunstancias, et seorsim Apostolos docet et instruit circa veram indolem regni sui.

THESES VI

Jesus Nazarenus testatus est se esse verum naturalem Dei Filium

NEXUS.—Nostra inquisitio “quid asserat Jesus de seipso”, qualem conscientiam habuerit de suo munere ac dignitate, non exhaustur testimonio suae dignitatis messianicae. Apparet sane perplurima vestigia alicujus conscientiae superioris, nempe divinae. Propterea ad complemdam inquisitionem de testimonio Jesu indagandum est utrum sibi tribuerit filiationem divinam sensu naturali et proprio.

NOTIONES.—“Filiatio naturalis”. Dicitur filius sensu naturali ille qui per generationem accipit ab alio eamdem naturam quam habet pater. Filius Dei sensu naturali est proinde ille qui vi productionis habet eamdem naturam ac Deus, non specificie eamdem ut accidit in entibus creatis et multiplicabilibus, sed numero eamdem, quia natura divina est una.

Datur alia filiatio impropre dicta, seu *moralis*. Haec potest esse merita relatio juridica, ut in adoptione (assumptio personae extraneae in jura filiorum). Hoc sensu morali et translato membrum alicujus coetus vocatur filius illius coetus ob vinculum physicum et sociale quod intercedit; propter relationem similitudinis vocantur filii diaboli illi qui malum operantur etc. Hoc sensu morali adhibetur etiam expressio filius Dei tam in V. quam in N.T. Populus Israel vocatur filius Dei Ex 4, 22 quia populus electus et ob foedus peculiare quod Deus iniit cum ipso. Etiam singuli israelitae vocantur filii Dei quia pertinent ad populum electum, Sap 2,13; Eccli 51, 10.

Medium inter filiationem naturalem et moralem occupat filiatio adoptiva per gratiam. Quatenus adoptiva est moralis, sed adest fundamentum physicum, nempe participatio naturae divinae.

ADVERSARII.—Omnes negantes divinitatem Jesu negant etiam Jesus habuisse conscientiam divinam. Sed non eodem modo procedunt ut probent hoc. Alii, ut Schlatter et Frövig, intelligent textus de filiatione morali, quamvis gradu superiori, orta ex peculiari experientia religiosa Jesu.—Alii, ut Bousset et schola morphologica, contendunt conscientiam divinam Jesu esse figmentum Ecclesiae primaevae. Via evolutionis per venerunt christiani ad adorationem Christi tamquam Dei. En gradus hujus evolutionis: 1) In ecclesia hierosolymitana exulta est theoria filii hominis: nempe cum idea Messiae religioso-politica conciderit passione et morte Christi, expectabant Messiam escathologicum et transcendentalem juxta visionem Danielis; expectabant Jesum venturum cum gloria. Priora evangelia exhibent fidem hujus ecclesiae. Visiones paschales seu apparitiones post Resurrectionem ostendebant Jesum vivere exaltatum. Sed hi iudeo-christiani minime profitebantur divinitatem Christi. 2) Sed aliter accidit in ecclesiis hellenisticis, ut Antiochia. Ibi dabatur Jesu titu-

lus "Kyrios", qui connotat cultum et dignitatem divinam. Ita paulatinus equiperatur "Dominus Jesus" cum "Domino" sine ullo additamento et tandem disparuit omnis differentia inter Jesum et Deum. Jesus apparet ut centrum cultus et fidei in epistolis S. Pauli. Tamen in S. Paulo Jesus manet specifice distinctus et subjectus Patri. 3) Ultimum gradum evolutionis exhibet 4um evangelium, ibi enuntiatur absolute dogma divinitatis Christi, disparet omnis differentia inter Kyrios et Deum.

CENSURA.—Divinitas Christi est articulus fidei ex symbolis. Sed quod divinitas Christi probetur historice ex evangelii est doctr. cath. ex Decr Lamentabili D2027 (cfr etiam D2029, 2030-1-2, 2076).

PROBATIO.—Thesin probabimus ex synopticis, siquidem divinitatem Xti doceri a Jo facile conceditur ab adversariis.—Sicut in manifestatione messianitatis Jesus debuit caute procedere, similiter et eo magis in manifestatione sua filiationis divinae propter rigidum monotheismum populi Israel. Attamen sunt praecolla testima, ut videbimus. Dividimus probationem in duas partes: in 1^a colligimus aliqua ex quibus eruitur conscientia suprahumana, immo divina, Iesu. In 2^a consideramus testimonia explicita et diserta de sua filiatione divina.

Pars 1^a. 1. Jesus se praefert omnibus quae Judaei sancta erant. Plus quam Salomon Mt 12, 42; Jonas 12, 41; Joannes Baptista, siquidem minor in regno coelorum major est illo, 11, 11; major Templo 12, 6; dominus sabbati 12, 8. Angeli sunt ejus ministri 13, 41; 16, 27.

2. Modus quo Jesus exercebat potestatem patrandi miracula. Ceteri legati divini (prophetae V.T.) patabant miracula tamquam instrumenta Dei, Jesus vero propria virtute et auctoritate, sine ulla limitatione; praeterea communicat hanc potestatem aliis. Volo, mundare Mt 8, 3 Nullum dubium exprimit 8,7. Eadem securitas cum imperat mari Mc 4,39. Etiam supra mortem scit habere dominium Mc 5,36 (collige hanc resurrectionem cum 3 Reg 17,17). Communicat absolute hanc potestatem Mt 10,1. Imperium supra daemones Mc 1,25; Mt 8,16. Etiam alii in nomine Iesu ejiciebant daemonia Lc 10, 17; 9, 50.

3. Jesus sibi tribuit potestatem moralem quam Judaei unice reservabant Jahve, nempe potestatem jurisdictionis divinae: legislativam et judiciariam. Legislativa: Jahve erat legislator populi Israel, rex theocraticus, Moyses non fuit nisi mediator legis. Jesus vero propria sua auctoritate, partim rejicit hanc legem, partim complet et perficit eam; ergo se se ponit in eadem linea ac Deus. Mt 5,21ss: dictum est, scilicet, a Deo: ipse concessit libellum repudii Dt 24,1, jus talionis Lv 24, 19, juramentum Lv 19, 12; "odio habebis" derivatum est a scribis ex libris V.T. in quibus sermo est de odio contra inimicos religiosos et nationales (non personales). Jesus revoitat aliquas ex his concessionibus, alterat ipsam legem, et hoc nomine proprio, propria auctoritate: "Ego autem dico vobis"... alius erat modus loquendi prophetarum: "Haec dicit Jahve".—Potestas

judicia: in his quae constituunt relationes hominis ad Deum, unice Deus potest esse judex. Vita moralis et religiosa hominis subest judicio Dei. Peccata sunt offensae Dei, ergo unice Deus potest ea dimittere. Similiter, judicare homines unice pertinet ad Deum. Hoc convincit natura rei et haec erat persuasio iudeorum. Jesus vero sibi tribuit has potestates: dimittere peccata Mt 9,6; Lc 7,48; homines judicare Mt 25,31; 7, 22; 13, 41.

4. Jesus se ponit tamquam centrum vitae religiosae. In descriptione ultimi judicii fere abstrahit a mentione Patris, ipse sedens in throno iudicat, dat sententiam, quae statim exsecutioni mandatur Mt 25, 31. Norma vero secundum quam sententia datur, haec est: "mihi fecistis", "nec mihi fecistis". Relatio ad Jesum decidet sortem aeternam hominum. "Propter me", Mt 5,11; 10, 18; 16,25. Jesus postulat ea quae Jahve sibi postulaverat, ea quae unice Deus potest exigere a creatura, usque ad renuntiationem propriae vitae; ita Jesus constituitur in objectum et centrum vitae religiosae. Exigit professionem fidei in Ipsum sub poena aeterni judicii Mt 10, 32; exigit amorem supra omnes amores humanos 10, 37; etiam vita danda est pro Ipsi 10, 39; 10, 28. Abnegare semetipsum, crucem accipere, haec omnia postulat Jesus propter se 10,38; 16,24. Num Deus potest exigere aliquid amplius? Ex his clarissime apparet persuasio Jesu: se esse aequalem Deo. Haec conscientia divina Jesu elucide apparet etiam in parabola quam proposuit Simoni phariseo: tu mihi dedisti signa dilectionis pauca quia persuasum est tibi te esse justum et me —Deum— tibi fere nihil pepercisse; haec vero multum diligit me quia ei multum dismissi Lc 7, 40 ss.

Pars 2^a.—Abstrahimus a quaestione utrum titulus "filius Dei" sit messianicus necne, vel communiter adhibitus ad designandum Messiam. Unice indagatur quonam sensu Jesus sese vocat hoc nomine. Etiam alii homines aliquoties vocantur filii Dei Mt 6,9,14; Jesus vocat Deum patrem aliorum hominum modo aliquo diverso ac est pater ejus. Sed hic tantum considerabimus illa loca synopticorum in quibus certissime describit suam filiationem divinam naturalem. Hujusmodi loca sunt sex; tria priora coram discipulis et alia tria coram inimicis suis. Tria priora sunt confessio S. Petri, exsultatio Jesu propter revelationem Patris et Filii et missio universalis discipulorum. Hae pericopae nexus aliquo formaliter inter se conjunguntur, ut ex expositione apparebit. Et quamvis apud Mt confessio Petri post revelationem Patris et Filii afferatur, tamen ex ordinatione chronologica vitae Xti apparet illam prius accidisse; et nos sequemur hunc ordinem chronologicum quia ita melius intelliguntur aliqua.

Mt 16, 16 confessio S. Petri. In hac pericopa primo sermo est de Persona Jesu, dein de opere suo, nempe Ecclesia. Contextus: Jesus est extra fines populi Israel, qui renuit agnoscere eum tamquam Messiam; duodecim solis apostolis interrogat Jesus: Quem dicunt homines esse filium

hominis (haec expressio adhibetur a Jesu tamquam ipsius nomen proprium). Et postea: Vos autem quem me esse dicitis? Responsio Petri. Ex solis verbis "filius Dei vivi" non videtur desumi posse argumentum certum, sed sensus verborum determinatur ex toto contextu. Hic sermonem esse de filiatione divina sensu proprio et naturali eruitur ex responsione Jesu, cum tribuit confessionem Petri revelationi Patris, nam ut ex textu sequenti apparebit, illud quod solus Pater potest revelare est filiatione divina naturalis Jesu. De hac proinde agitur hic. Post confessionem suae filiationis divinae, agit Jesus de Ecclesia sua super Petrum fundanda in substitutionem veteris Ecclesiae a Jahve conditae, et hoc nomine et auctoritate propria, ergo in eadem linea ac Jahve sese exhibet.

Mt 11, 25 (Lc 10, 21). Contextus: cum apostoli reversi sunt gaudentes a prima missione sua, tunc Jesus exsultans Spiritu Sancto protulit haec verba (cfr Lc). Etiam hic primo agitur de Persona Jesu, dein de opere suo (jugum: lex nova, Ecclesia, in substitutionem jugi Jahve in V.T.). Sensus: agit primo de aliqua revelatione quam Pater fecit parvulis: haec est illa quam fecit S. Petro cum revelavit filiationem divinam Jesu. Omnia mihi tradita sunt: potest intelligi vel de generatione aeterna vel de traditione potestatis in tempore, in Incarnatione. Nemo novit Filium (quis sit Filius, in Lc): Pater unice et exclusive cognoscit filiationem Jesu: jamvero filiatio moralis Jesu etiam ab intellectu creato potest cognosci: proinde hic agitur de filiatione divina naturali, nam haec tantum per revelationem potest innotescere, et haec est revelatio quam Pater fecit parvulis, sicut S. Petro. Similiter Pater, ut talis Pater, existentia Personae Patris, unice et exclusive a Filio est cognita et hic similiter potest eam revelare. Pater et Filius aequiperantur omnino et ratione potentiae cognoscitivae et objecto cognitionis infinitae. Ceteri homines possunt cognoscere Patrem et Filium per revelationem, per fidem, sed Filius cognoscit Patrem per scientiam, similiter ac Pater novit Filium.

Mt 28, 18. Etiam hic agit primo de sua Persona, dein de opere suo (euntes docete...) Data est mihi omnis potestas (ut in textu praecedenti) Baptizantes in nomine Patris... hic complet revelationem mysterii SS. Trinitatis, addens mentionem tertiae Personae. Filius ponitur in eadem linea ac Pater, omnino aequiperatur cum eo; ipse erit praesidium perenne sua Ecclesiae.

Textus coram inimicis sunt similiter tres: parabola vinitorum, quaestio de Messia, responsio coram Synedrio.

Mt 21, 33. Parabola vinitorum. Distinguit inter servos (prophetas V.T.) et filium unicum, carissimum, heredem. Mens Xti est clara: agitur de filiatione naturali, sensu proprio. Etiam Filium occident et propter hoc crimen auferetur ab eis regnum Dei.

Mt 22, 41. Quaestio de Messia quam proposuit Jesus scribis et phariseis. Intentio Jesu in proponenda quaestione erat ducere eos ad hoc

ut plenius cognoscerent Messianitatem predictam in V.T. Quid vobis videtur de Christo? Quomodo intelligitur quod sit filius David, si ipse David agnoscit eum tamquam dominum suum? (citat Ps 109). Responsio praesto erat in ipso Ps., in quo exprimitur dignitas divina Messiae: "sede a dextris meis"...

Mt 26, 62. Responsio coram summo Sacerdote et Synedrio. Duae sessiones: prior nocte (*Mt Mc*), altera primo mane (*Lc*). Summus Sacerdos interrogat utrum sit Christus, Filius Dei. Id est, Messianitas et Divinitas. Hoc clarius eruitur ex relatione *Lc* 22, 66. Primo quaerunt utrum sit Christus. Jesus respondet affirmative et in responsione alludit ad Ps 109, sibi tribuens aequalitatem cum Deo. Tunc, hoc auditio, quaerunt de sua filiatione divina, ergo hanc filiationem intelligunt sensu proprio et naturali. Juxta relationem *Mt* et *Mc* respondet affirmative ad utramque quaestzionem et addit allusionem ad Ps 109 et ad visionem *Dn*, quae duo loca tribuunt dignitatem divinam Messiae. Propter hanc confessionem damnatur. Irrisiones in Cruce *Mt* 27, 40 (collige cum *Jo* 19, 7).

(*Confirm.* ex *Jo*.—Divinitatem Jesu doceri a *Jo* est evidens: sufficit videre Prologum. Prior conclusio libri c.20 retinet duos illos titulos saepe adhibitos: Christus, Filius Dei. Saepissime sermo est in hoc Evangelio de praexistentia Jesu, exivit a Patre, vedit Patrem, est aequalis Patri, etc. Differentiae cum synopticis explicantur ex materia quae partim est diversa, ex scopo nam *Jo* prae oculis habet errores christologicos jam erumpentes, et denique ex indole personali ipsius Joannis. Notatu dignum est etiam quod *Jo* retinet expressionem "filius hominis" similiter ac synoptici, quamvis ab Ecclesia primaeva non soleat adhiberi. Textus in quibus indicatur aliqua dependentia respectu Patris explicantur ex processione ab ipso Patre. Exemplum aliquod *Jo* 5, 17.ss)

Ex S. Paulo. Rom 1, 1-5; 8,32; 9,5. *Phil* 2,5-11; *Gal* 4,4.

Ex Act. Petrus, qui describit Iesum tamquam hominem resuscitatum et exaltatum a Deo 2,32, vocat illum auctorem vitae 3,15; citationem facit Ps 109 (Act 2,34). Vocatur Dominus omnium. In nomine Jesu sanantur infirmi, dimittuntur peccata. Gratia ejus salvi sumus etc

SCHOL.—Ex dictis de munere messianico ac dignitate divina Iesu jam eruitur hunc sese considerasse tamquam Legatum Divinum qui debbat hominibus patefacere revelationem Dei. Ex qualitate Messiae eruitur hoc, nam munus doctrinale seu magisteriale pertinet ad praecipua munera messianica. Jamvero si hic Messias est Filius Dei, verba ejus sunt verba divina, constituant revelationem divinam. Prophetae V.T. accipiebant a Deo quod debebant tradere hominibus, Jesus vero loquitur quod Ipse scit et vedit *Jo* 3,11, ipse est Verbum Dei. Saepissime agitur in Evangelio de missione hujus Legati Divini (cfr *Mt* 21, 33 ss *Lc* 19, 10). Indoles vero magisterialis seu doctrinalis hujus missionis eluet ex toto

evangelio, quia tota vita publica nihil aliud est quam exercitium muneris docendi.

THESIS VII

Testimonium Jesu de seipso neque fraudis neque erroris argui potest

NEXUS.—In historia religionum non apparet alius casus similis causi Jesu, scilicet homo qui assorat de seipso quae Jesus asserit et talia postulaverit. Nunc vero ponitur quaestio: estne verum hoc testimonium? Jesus est revera illud quod affirmavit? quibus argumentis fulcitur haec assertio? Sane, si Messias ille expectatus et Filius Dei aliquando apparuit in hac terra, debuit esse insignitus talibus signis et dotibus quibus veritas suae missionis omnibus fiat evidens. Et revera facta divina quae demonstrant veritatem testimonii Jesu sunt talia et tanta ut plura et maiora vix possunt postulari vel desiderari. Sed antequam procedamus ad inquisitionem horum argumentorum ponimus hanc thesin praeviam de impossibilitate fraudis aut erroris in testimonio Jesu.

NOTIONES.—“Fraus”: mendacium, id est, consulto voluit decipere. “Error”: illusio, hallucinatio, Jesus ipse deceptus est putans se esse Messiam et Filium Dei; tunc quaestio esset de sanitate psychica et physica Jesu, nam talis conscientia messianico-divina revelaret mentem aegram. Uno verbo: aut deceptor aut somniator.

ADVERSARII.—Fraus hodie a nullo tenetur. Olim: pharisaei coetanei Jesu, judaei posteriores (Talmud, Toledot Jeschu), Reimarus; etiam nunc vulgus ignarum. Error vero seu illusio a pluribus tenetur; fundamentum pro hac theoria adest in conceptu religionis mere subjectivo, tamquam experientia interna. Sed quoniam talis conscientia in homine normali et perfecte sano minime potest dari, recurrunt ad diversas explicationes. Holtzmann: Jesus fuit ecstaticus, ductus ab aliquo spiritu dicebat et faciebat res absurdas. Baumann: fuit obnoxius hallucinationibus, neuroticus. De Loosten: insanus. Rasmussen: epilepticus. Binet-Sanglé: paranoicus religiosus.

CENSURA.—Dogmatice de fide (nam Jesus est Deus), sed apologetice, ut thesin proponimus, non sunt documenta. Potest dici certa.

PROB. I PARS: *Fraus*

Impossibilitas interna fraudis. Si Jesus fraude sibi tribuisset dignitatem messianicam et divinam, fuisset homo sceleratissimus. A non fuit talis. Maj. Objectum religionis est cultus Dei, peccata contra religionem sunt omnium gravissima. Jamvero sibi tribuere divinitatem est violare jura exclusiva Dei, decipere homines, inducere eos ad idololatriam... Min.

Examen vitae Jesu ostendit sanctitatem eximiam talem ut nullo modo componatur cum hoc crimine. Motivum talis fraudis esset vel voluntas diabolica nocendi, arcendi homines a Deo, vel ambitio personalis. Sed Jesus, ut clarissime patet ex ejus vita, numquam quaesivit nec dvitias nec honores; praecise quia rejecit ideas messianicas terrenas vulgi amisit favorem populi et tandem periiit in manibus inimicorum. Praeterea relationes filiales Jesu cum Deo, submissio et reverentia et omnimoda oboedientia voluntati Dei sunt adeo evidentes ut nec suspicio concipi possit blasphemiae seu sacrilegii. Voluntas nocendi: venit ministrare, incumbit labori, operibus misericordiae et caritatis, ministerio docendi... Ergo nullum motivum appetit fraudis.

Impossibilitas externa. Talis fraus non potuit non innotescere, nam Jesus publice docebat et inde ab initio habuit discipulos qui vitam agebant cum ipso. Jamvero hi minime detegerunt signum aliquod fraudis in Jesu, sed e contra maxima veneratione eum prosecuti sunt. Ipse Judas proditor fatetur ejus innocentiam. Pharisei jaciunt quidem accusacionem illam Jesum ejicere daemonia in Beelzebub nomine, sed hoc non est nisi clara agnitus characteris praeternaturalis miraculorum Jesu. Et ut eum capite damnarent nullum crimen invenerunt praeter testimonium suae filiationis divinae. Omnis qui habet aliquam cognitionem fontium fateatur accusationem fraudis esse impossibilem.

PROB. II PARS: *Error*

In hac parte unice rejicimus impugnationes adversariorum, id est, ostendimus rationes quas ipsi adducunt non subsistere. Revera, plura quae ab eis citantur non habent valorem nisi pro his qui naturalismo infecti sunt, e. gr. Jesum vocem de coelo audisse, angelos vidisse... Affectus inordinati: ejicere vendentes e templo, maledicere ficalneam: motiva sanctissima harum actionum sunt nimis evidentia; defectus sensus sexualis qui appareat in laude continentiae: Jesus jam tunc dixit qui potest capere capiat: pro homine imbutus ideis naturalisticis haec sunt signa abnormalitatis, non vero pro illo qui habet sensum Dei. Defectus sensus pietatis familiaris qui appareat in puerō duodecenni, non vult agnoscerē matrem et fratres: sensus verborum Xti est clarus, ibi agitur de juribus Dei, de sua missione ac legatione, cui debent cedere cetera omnia. Adducunt etiam aliquos textus in quibus inimici Jesu dicunt hunc insanire, dicere absurdā et incongrua, daemonium habere etc Jo 7,19; 8,48; 10,19, sed clarum est nullum eorum existimasse Jesum esse mente aegrū nec illum tali odio prosecuti fuissent. Adducunt etiam locum Mc 3,20. Scimus aliquos familiares Jesu non credidisse in ejus dignitatem messianicam; hi, cum vidissent modum agendi Jesu non esse juxta normas communes, volunt eum reducere, fortasse ut zelent honorem et bonam famam familie et exprimunt suam cogitationem cum hoc termino vulgari, forti et rustico, sicut saepe solet plebs cum agitur de homine vel actionibus quae excedunt

modum agendi communem. Alii aliter intelligunt hunc locum. Denique quis sanae mentis potest serio credere opus tan excellens ut est religio christiana ortum duxisse ex homine insano aut morbidae mentis, vel esse fructum illusionis et hallucinationis?

THEISIS VIII

Vaticinia V.T. impleta aliaque testimonia divina probant veritatem legationis Jesu

NEXUS.—In th. praeced. vidimus testimonium Jesu non posse argui fraudis neque erroris. Quaeri jam potest: non sufficit hoc ut testimonium illud tamquam verum amplectatur, absque aliis argumentis? Scilicet homo rectus, sanctus, veridicus, illusionibus non obnoxius, cum rem aliquam testatur, fidem meretur et prudenter non potest ei denegari assensus; practice ita procedimus in vita communi et haec regula commendatur quoad revelationes privatas; sed hic, quoniam agitur de legatione publica, de acceptatione alicujus veritatis gravissimae et maxima transendentiae, requiritur major gradus certitudinis et veritas testimonii probetur oportet per facta divina externa, publica, indubia. Hujusmodi facta debemus jam proponere. Ordo erit sequens: primo considerabimus facta illa divina externa Christo sed quae convergunt in Christum (vaticinia V.T. et aliqua alia signa); deinde considerabimus signa divina quae eluent in ipsa Persona Christi (Jesus tamquam miraculum intellectuale et morale: Sapientia et Sanctitas Jesu); demum facta divina ab Ipso patrata (miracula, prophetiae, propria Resurrectio). Scilicet, signa in Jesus, in Jesu, a Jesu. Hic de signis in Jesum.

NOTIONES.—Jam antea egimus de vaticiniis messianicis; nunc debemus agere de eorum impletione in Jesu. Vidimus expectationem illam vividam populi Israel ex his vaticiniis ortum duxisse; jam vero illa vaticinia divina in quo adimpta sunt? Populus Israel dispersus fuit per nationes, Templum non exstat, sacrificium cessavit, jam non sunt prophetae. Unus Jesus a Nazareth agnitus est ut Messias ille expectatus, impletio vaticiniorum fuit una ex rationibus ob quas primi christiani credebant in Jesum. Fuerunt utique pseudochristi, deceptores et impostores, sed cito deficiente prospero exitu derelicti et obliti sunt. E contra Jesus, capite damnatus, paulo post in toto ambitu Imperii Romani agnoscitur et colitur.

Duae partes: 1^a De vaticiniis V.T. impletis in Jesu. 2^a De aliis signis divinis in ipsa vita Jesu.

ADVERSARII.—Rationalistae.

CENSURA.—Doctr. Cath. ex D 2136, 1790, 1638.

PROB. I PARS.—En brevis conspectus praecipuorum vaticiniorum quae in Jesu impleta sunt.

a) Quoad nativitatem. Genus dividicū Mt; Lc; Rom 1,3; 9,5; Act 13,22. Locus nativitatis, Betlehem Mich 5,2. Ex matre virgine Is 7,14. Cum adhuc exstaret Templum, cuius gloriam praenuntiavit Aggaeus 2,8. Mal 3,1 dixit Messiam ingressurum hoc Templum; ipse dixit Eliam futurum esse praecursorem Messiae 4,5: et hoc impletum est in Joanne Baptista Lc 1,17; Mt 17,11.

b) Quoad tria munera Messiae. Potestas regia apparuit in ingressu triumphali juxta Zach 9,9; Is 62,11. Munus sacerdotale cum seipsum obtulit in sacrificium Mt 20,28 et tamquam memoriale perenne suae mortis instituit sacrificium eucharisticum juxta Mal 1,11. Magisterium exercuit constanter in tota vita sua publica.

c) Quoad sortes Messiae (Passio-Mors-Resurrectio). Passio et Mors Jesu quam bene correspondet praedictionibus! Is 50 et 53; Ps 21 et 68. Resurrectio, Ps 15.

d) Quoad opus Jesu. Opus Messiae, tam vividis colorib[us] depictum in V.T., "salus messianica", "justitia Jahve", "Regnum Dei", si aliquando verificatum est, evidenter cernitur in illa religione quae vocatur christiana (:messianica). In illa apparet universalitas illa praedicta Gn 12,3. Foedus antiquum erat praeparatorium et cessavit. In substitutionem ejus venit religio vocata messianica, universalis, quae per totum mundum extendit lucem verae cognitionis Dei et quae pro se habet promissam indefectibilitatem et consistentiam aeternam.

Brevi, si vaticinia messianica sunt divina, in aliquo debent impleri. Jamvero in nullo alio quam in Jesu impleta sunt et tempus utile impletionis jam transiit. Ergo Jesus est Messias.

PROB. II PARS.

Missio Joannis Baptiste naturaliter non explicatur; omnes habuerunt eum tamquam Prophetam, ipse scit se non esse nisi praecursorem Messiae et dat testimonium de Jesu, Jo 1,32.

Signa quae acciderunt in nativitate.

Verba prophetica Simeonis de missione Jesu, tam consona cum dictis prophetarum.

Signa in baptismo et transfiguratione.

Signa in morte Jesu. Evidens est aliquid extraordinarium accidisse: populus contritus, confessio centurionis, tenebrae, terraemotus, velum Templi scissum...

Haec omnia sunt signa quodammodo extrinseca ipsi Jesu sed quae convergunt in eum, radii lucis a Deo provenientes et Jesum illuminantes ut eum agnoscamus ut verum Messiam et Filium suum.

THESES IX

Sapientia mirabilis Jesu est miraculum intellectuale

NEXUS.—Transimus jam ad signa divina quae eluent in ipsa Persona Jesu; inde personalis Jesu animos sibi devinciebat, alliciebat et exercebat magnum influxum Jo 1,14; 1 Jo 1,1. Haec gloria quae proveniebat ex ipsa Persona Jesu reducitur ad sapientiam mirabilem (miraculum intellectuale) et sanctitatem eximiam (miraculum morale). Quaeri potest quisnam sit valor horum argumentorum et utrum comparative habeant majorem valorem probativum quam miracula physica patrata ab ipso Jesu. Concedi potest ontologice, quoad se, haec argumenta desumpta ex ipsa Persona Jesu, eminere dignitate ac nobilitate p[re] omnibus aliis; et etiam apologetice potuerunt esse maximi valoris pro illis qui cognoverunt Jesum et vixerunt intime conjuncti cum Ipso; sed quoad nos majorem vim probandi habent miracula physica, sunt argumenta magis clara, peremptoria et certa. Sed etiam his tribuimus suam vim; praecipue ex sanctitate concedimus erui posse argumentum certum; ex sapientia difficilius apparet, nam deest criterium ad dimetiendum disproportionem inter doctrinam Jesu et capacitatem naturalem facultatis; praeterea plura ex doctrina Jesu sunt mysteria, in quibus ratio nihil valet judicare; sed his omnibus admissis semper apparet harmonia, sublimitas, puritas doctrinae, modus docendi, auctoritas...: unde huic haec omnia? Mc 6, 2.

NOTIONES.—Sensus est: actus intellectuales Jesu excedunt naturalem facultatem humanam. Ut hoc appareat, considerare debemus doctrinam Jesu, hujus doctrinae perfectionem internam.

ADVERSARII.—Aliqui rationalistae qui dicunt Jesum efformasse suam doctrinam sub influxu V.T.; alii explicant veritates christianas ex evolutione dogmaticae primitivae. Alii negant originalitem doctrinae Jesu, nam —dicunt— fere nihil scimus de ejus vita ac doctrina, et christianismus conflatus est ex syncretismo aliarum religionum; hi propter ideas praeconceptas negant valorem historicum fontium et arbitrarie procedunt ut tollant quidquid speciem praeter naturalem habet.

CENSURA.—Doctr. Cath. ex D 1638

Duae partes: I Doctrina Jesu in se ipsa considerata, II Comparative considerata.

PROB. I PARS.

Jesus non fecit sistema aliquod veritatum, sed posuit elementa hujus systematis, id est, docuit veritates ex quibus et cum quibus exsurgit sistema harmonicum et perfectum, quale videre est in Theologia. Ut haec systematisatio possibilis evadat, necesse est ut veritates edociae a Jesu habeant inter se nexus logicum ita ut reduci queant in corpus aliquod doctrinale. Per tot saeculorum spatium maxima generis humani ingenia

incubunt meditationi et elucubrationi hujus doctrinae quin ipsam excedant vel exhaustant. Praecipua capita hujus doctrinae sunt conceptus Dei et relationes hominum cum Deo et inter se. Deus est auctor mundi, infinitae perfectionis, exemplar sanctitatis, pater hominum, qui praeter creationem et cetera beneficia ordinis naturalis, amorem suum paternum demonstrat mittens nobis Filium suum ut hominem lapsum rursus erigat et participem reddat ipsius beatitudinis divinae in caelo. Jamvero haec doctrina solvit quaestiones fundamentales hominis: originem, finem, relationes cum Deo, fraternitatem hominum inter se, quia filii ejusdem Patris. Praeterea instituit societatem religiosam, in cuius sinu habeat homo quidquid necesse habet ad finem suum obtainendum, scilicet lucem veritatis pro intellectu, et vires ad confortandam voluntatem. Praeterea seipsum suamque imaginem proponit nobis tamquam exemplar ad imitandum Mt 11,28. Uno verbo, doctrina simplex atque sublimis, quae plene satiat et satisfacit necessitatibus et aspirationibus hominis.

Jamvero hanc doctrinam Jesus undenam potuit haurire? Influxus extra iudaici minime apparent; utique noverat V.T., sed in plurimis doctrina Jesu excedit et superat doctrinam ibi contentam. Praeterea considerari debet *modus* docendi Jesu. Evangelistae nobis loquuntur de admiratione et stupore audientium. Gratia sermonis, simplicitas, aptatio ad captum vulgi, gravitas, sublimitas, auctoritas. Haec divina paedagogia appareat in parabolis; claritas expositionis v. gr. Mt 5-7, ingenium ad detegendas insidias Mt 22, 15, energia in accusando et comminando Mt 23,1. Cum omni certitudine et tranquillitate animi asserit: Coelum et terra transibunt... Mt 24, 35. Sufficiat hic citare tria illa loca quae constituerunt velut quaedam culmina totius praedicationis Jesu: Mt 11, 25-30; 16, 17-19; 28, 18-20. Verba nervosa, plena majestate, regia et divina, quae in ipsis portare videntur sigillum indubium suae veritatis. Recole etiam sermonem in ultima coena et orationem sacerdotalem Jo 13-18.

PROB. II PARS.

In hac parte requireretur descriptio aliarum religionum et comparatio cum christiana, sed quoniam hoc esset nimis longum unice statuimus aliqua principia et deinde aliqua dicemus ex quibus appareat omnimoda superioritas religionis christiana.

Principia in comparatione cum aliis religionibus prae oculis habenda: a) similitudo externa non probat analogiam internam. Sane est aliqua similitudo in quibusdam caeremoniis (baptismus et lotiones religiosae, eucharistia et quaedam convivia sacra), sed haec omnia inter nos habent sensum et significationem omnino aliam ac in aliis religionibus. b) Similitudo non probat dependentiam c) Ut dependentia admittatur, factum debet positive et historice probari.

Sed ubinam potest afferri alia religio ut christiana? Haec appetit ornata unitate perfecta cultus, dogmatis et moralis. Fundator religionis

est circumfulsus plena luce historica, certa et clara; ipse Fundator ponit suam propriam Personam tamquam objectum cultus et exemplar vitae moralis. Religio quae miro modo amplectitur in se complexionem oppositorum, nam ex una parte habet universalismum, quoad tempus et spatium, quoad materiam et spiritum, quoad vitam praesentem et futuram; ex alia parte, maximam unitatem: Jesus ipse est centrum in quod omnia convergunt: religio V.T. in Ipsum respiciebat, vita Ecclesiae non est nisi continuatio vitae Jesu usque ad alterum adventum ipsius. Habet immutabilitatem et accommodationem etc Vere religio incomparabilis. Non habet simile quid inter omnes religiones et systemata philosophica.

THESIS X

Sanctitas eximia Jesu est miraculum morale

NEXUS.—Post miraculum intellectuale sapientiae Jesu debemus nunc considerare miraculum morale sanctitatis, nam ad haec duo reducuntur signa divina quae eluent in ipsa Persona Jesu.

NOTIONES.—Sanctitas eximia, id est perfectio moralis summa, heroica, quae excedit facultatem naturalem voluntatis humanae et nequit explicari absque miraculo morali. Sane voluntas humana valet multum (collige res gestas a militibus, scientificis etc) et non possumus determinare ambitum quoisque sese extendat ejus potentia, sed certe possumus cognoscere quosdam actus illi esse naturaliter impossiles, praesertim si agatur non tantum de uno actu sed de serie actuum, de modo constanti agendi, de tota vita. Praeterea debemus habere prae oculis difficultates quas in casu aliquo concreto dantur, finem obtainendum etc, nam cum finis intentus appetit ut conveniens ipsi naturae voluntas facilius admittit sacrificia vel maxime ardua, e. gr. cum spes est bona terrena adipiscendi; sed renuntiare omnibus bonis et ipsi vitae ob voluntatem Dei adimplendam hoc certe voluntas humana naturaliter non valet. Et in hoc praecise consistit sanctitas eximia, de qua in thesi; haec demonstratur cum finis religiosus prosequitur dispendio summorum sacrificiorum.

Praeterea, omnes homines, etiam sanctissimi, habent suas maculas seu imperfectiones morales, conscientiam suorum peccatorum etc At in charactere Jesu nulla appetit umbra vel conscientia culpe, in ipso inventur exemplar omnis sanctitatis et complexio oppositorum: humilitas et majestas, mansuetudo et zelus, charitas proximi et dignitas propria.. Haec tam mira non explicantur nisi ex filiatione divina Jesu.

ADVERSARII.—Naturalistae et rationalistae.

CENSURA.—Doctr. Cath. ex D 1638 (“vita”).

Duae partes: I Quod fuit expers peccati, II Descriptio positiva sanctitatis Jesu.

PROB. I PARS.

Homo expers ab omni peccato seu macula moralis certo certius est miraculum morale. Jamvero hoc apparet in Jesu. Hic citabimus testimonia ipsius et coetaneorum, sive amicorum sive inimicorum.

Testimonia Jesu Jo 8, 46; 14, 30. Tota vita ejus dedita est ad voluntatem Patris implendam, hic est cibus quo pascitur Jo 4, 34. Ceteros homines vocat malos, seipsum excludens ab hoc nomine Mt 7, 11. Quia non habet peccatum nec conscientiam culpae, offert suam vitam tamquam hostiam expiatoriam pro peccatis omnium hominum; id est, sua sanctitas talis est ut aequiparet culpabilitatem omnium hominum Mt 26, 18. In effatis Jesu nullum vestigium invenitur conscientiae peccatoris, venia et misericordia Dei egentis. Nonne hoc esset prorsus inexplicabile in homine maxime religioso, ut fuit Jesus, si hic non esset nisi purus homo?

Testimonia amicorum. Baptista Jo 1, 29. S. Petrus 1 Pet 2, 21. Johannes 1 Jo 3, 5. Paulus dat nobis persuasioneum christianam primitivam 2 Cor 5, 21. Hebr 4, 14; 7, 23-27.

Inimicorum. Certe inimici Jesu proferunt quasdam accusations contra Jesum, sed unice demonstrant malam voluntatem vel malum sensum eorum, scilicet Jesum fuisse amicum peccatorum et publicanorum, manducasse cum illis, traditiones non servasse etc In processu apparet clarissime innocentia Jesu: cum nihil inveniant ut Jesum condemnent, debent provocare ad ipsius testimonium. Nuda assertio Jesu, se esse Filium Dei, fuit causa ob quam damnatur. Coram Pilato, cum deficeret alia causa delicti, iterum affertur haec assertio Jesu tamquam unica ratio. Tam Pilatus quam uxor ejus, bonus Iatro, Judas, Herodes etc agnoverunt innocentiam Jesu. Vere si Jesus se asserit Filium Dei et vita ejus effulget tali sanctitate morali, etiam abstractione facta aliorum miraculorum, ratio erat dubitandi et inquirendi utrum Jesus vere erat illud quod dicebat...

PROB. II PARS.

Finis seu scopus ad quem tendit tota vita Jesu est ut faciat voluntatem Patris Lc 2, 49, quamvis hic calix amarissimus fuerit pro ipso Mc 14, 36; emittit spiritum commendans in manus Patris animam Lc 23, 46. Hunc finem prosecutus est dispendio maximarum difficultatum et sacrificiorum: semper patiens et benignus, parcens ignorantibus, miseriis et rusticitati hominum, incumbit operibus charitatis et muneri docendi, quot injurias ferre debuit ex omni parte, et tandem passionem acerbissimam amplecti, jam multo ante praedictam. In charactere personali Jesu nulla apparet umbra moralis sed summa omnium perfectionum. Humilis et mansuetus sed cum magna fortitudine animi, semper fidelis et sibi

constans et suaे missioni, absque ulla vacillatione adimplet suum opus usque ad crucem jam clare praevisam.

Nulla comparatio dari potest cum aliis fundatoribus religionum. Seneca et stoici non habuerunt vitam religiosam nec moralem sanctam. Buda et Confucius non considerunt religionem sed tantum excoluerunt systemata philosophica in quibus deest conceptus Dei ut fundamentalis. Vita Mahomae nullo modo fuit sancta.

Inter sanctos christianos quae varietas observatur! Sancti martyres, contemplativi, missionarii, alii dediti operibus caritatis... sed omnes agnoscunt ipsos non esse nisi imitatores Jesu, ipsi non sunt nisi lux de luce Jesu, lux participata. Unusquisque Sanctus et Ordo religiosus reflectit partem lucis Jesu; hinc varietas et phisonomia peculiaris Sanctorum et Ordinum religiosorum. Sanctitas summa, plena et integra unice adimpta est in Jesu et semper manet inaccesibilis.

THESIS XI

Jesus legationem suam divinam probavit miraculis et vaticiniis

NEXUS.—Postquam consideravimus signa divina quae eluent in ipsa Persona Jesu, nuc debemus considerare opera miraculosa patrata ab ipso Jesu, scilicet miracula physica et vaticinia quae cum sint faciliora cognitu et proinde magis demonstrabilia, habent majorem vim probatim quam miraculum intellectuale et morale Personae Jesu.

NOTIONES.—Miraculum, miraculum physicum, vaticinium, quatuor veritates miraculi: haec *omnia supponuntur ex praecedenti tractatu*. Sensus proinde theseos est clarus: volumus probare Jesum patrasse vera miracula physica et edidisse vera vaticinia, et quidem in confirmationem sui testimonii de sua qualitate messianico-divina:

ADVERSARI.—Antiquitus negabatur veritas theologica miraculorum Jesu (pharisaei, Celsus); temporibus modernis primo negata fuit veritas historica, hodie haec partim conceditur, sed negatur veritas philosophica. Etiam veritas relativa negatur a multis qui parvipendunt vel minuunt valorem probativum horum signorum in intentione Jesu.—Negatio miraculorum Jesu nullam aliam causam seu radicem habet nisi praejudicia naturalistica et rationalistica. Dabimus hic praecipuas theorias seu conatus rationalistarum ad explicanda miracula Jesu:

1. *Th. fraudis.* Reimar. Hodie derelicta.

2. *Th. naturalistica.* Paulus et rationalistae antiqui. Facta, si sunt historica, debent explicari secundum leges naturales; color praeternaturalis

quem habent est figmentum postea additum. Critici est determinare verum nucleus historicum harum narrationum.

3. *Th. mythica*. Strauss. Hae narrationes non sunt nisi fabulae vel mythis efformati ex influxu V.T. Cum in V.T. Messias describatur velut thaumaturgus, conscientia christiana efformavit hanc ideam de Jesu et ita ortae sunt hae narrationes.

4. *Th. psychologica*. Harnack et alii. Quoniam historicitas evangeliorum etiam in narrationibus miraculorum elucet, hi recurrent ad explicaciones psychologicas. Tunc temporis, propter ignorantiam virium naturae et nimiam superstitionem statim considerabantur tamquam miracula effectus miri vel aliquo modo extraordinarii. Sine dubio Jesus patravit aliquos ex his effectibus (praesertim sanationes) et hi exaggerati sunt et considerati tamquam miracula. In specie Harnack distinguit 5 classes miraculorum Jesu: 1 Facta naturalia sed mira et exaggerata a traditione, 2 Miracula orta ex mala intelligentia aliquorum verborum. 3 Orta ex influxu vaticiniorum V. T. 4 Sanationes patratae a Jesu per suam vim spiritualem extraordinariam. 5 Alia quorum causam adhuc ignoramus.—Harnack impugnat etiam veritatem relativam miraculorum Jesu.

5. *Th. "irrationalis"*. R. Otto. Quamvis aliqua sint exaggerata in evangeliis, certe Jesus patravit effectus extraordinarios, quia in gradu eminenti possidebat qualitates sanativas et alias vires extraordinarias.

6. *Th. morphologica*. Bousset. Existebant narrationes populares similes, quarum influxu christiani finixerunt haec miracula Jesu, nam miracula erant pro ipsis velut signa necessaria Regni Dei.

7. *Th. psychoterapica*. Dibelius ... Sanabat per suggestionem.

8. *Th. occultistica*. Kuhaupt. Jesus patrabat haec per vires occultas nature, ut spiritistae.

Summatim: miraculum tamquam opus praeter naturale divinum ab omnibus rejicitur, siquidem est impossibile. Tamen generatim admittitur veritas historica aliquorum factorum, sed unice illorum quae videntur posse explicari psychologiche vel modo irrationali. Supponuntur etiam influxus plus minusve efficaces legendae et mythi. Praeterea, Jesus nullum valorem tribuebat his operibus extraordinariis tamquam signa probativa suae legationis.

CENSURA.—De fide ex Vat. D. 1790, tam factum miraculorum Jesu quam eorum valor apologeticus. Cfr. etiam D 1813, 1624.

PROBATIO. Procedit per quatuor veritates miraculi.

Veritas historicā.

Miracula singillatim narrata habentur in evangeliis 40. Dividuntur in 4 classes: 1 suscitations mortuorum, 2 expulsiones daemonum, 3 sanationes aegrotorum multae, ex omni genere morborum et modus sanationis fere semper est instantaneus, 4 miracula cosmica, i. e. patrata in creaturis irrationalibus. Acervatim relata habentur multa alia, quae tantum gene-

rice indicantur. Praeterea habentur in evangeliis variae praedictiones vel vaticinia Jesu. Quemnam valorem historicum merentur hae narrationes miraculorum?

Imprimis, quoad *genuinitatem litterariam* nullum dubium moveri potest. Textus critice est genuinus. Hae narrationes non sunt interpollationes vel additiones posteriores. Hoc clarissime apparet etiam ex consideratione attenta evangeliorum, ex arcta connexione quam narrationes miraculorum habent cum unitate litteraria horum operum. Si miracula tolluntur ex evangeliis, haec penitus destruuntur et non remanent nisi fragmata trunca et mutila. In ordinatione artificiosa et litteraria Mt per pulchre appareat haec combinatio sermonum et miraculorum Jesu facta ab ipso auctore hujus operis. Praeterea multoties ipsa miracula intime connectuntur cum verbis et aliis eventibus evangeliorum, ita ut si facimus abstractionem miraculorum, cetera redduntur inintelligibilia, cfr e. gr. cap. 11 et 12 Mt

Genuinitas historica. Sed admissa genuinitate litteraria harum narrationum, adhuc manet quaestio de genuinitate historica. Revera, accideruntne haec quae ab evangelistis narrantur? Jesus patravit haec quae dicuntur vel non? Et dicimus: omnes fontes primitivi historiae Jesu sunt unanimes et concordes in hoc, scilicet attribuunt Jesu miracula, depingunt suam imaginem tamquam Messiae legationem suam miraculis confirmantis. Praedicatio christiana primaeva nuntiabat Jesum tamquam Messiam et miracula adhibebat tamquam argumenta. Petrus Act 2,22; 2 Pet 1,16. Evangelia ex hac primitiva traditione prodierunt. Etiam Quadratus, Jos. Flavius, Talmud, Celsus, agnoscunt miracula Jesu. Hoc unanime testimonium fontium non explicatur si Jesus revera non fecit miracula.

Praeterea, tota historia Jesu redditur inintelligibilis si non admittitur veritas historica miraculorum, siquidem relatio populi, amicorum et inimicorum ad Jesum non intelligitur nisi ex miraculis. Coram populo Jesus gaudebat maxima auctoritate; habebant eum tamquam prophetam; et causa hujus commotionis erant sermones et miracula (cfr Lc 24, 19). Inimici Jesu erant viri potentissimi, duces populi judaici, et tamen agnoscunt influxum Jesu super turbas; et causa istius influxus sunt miracula (Jo 11, 47). Ob hanc causam dicunt Jesum facere haec per virtutem diaboli Mt 12, 22 ss Amici Jesu sciunt odium ducum populi contra Jesum et tamen eum sequuntur maxima fidelitate et perseverantia usque ad mortem; et etiam hoc non explicatur nisi quia viderant ejus miracula et alia signa indubia suae missionis divinae.

Quaestio historica miraculorum Jesu debet solvi secundum normas criticas quae exiguntur ad fidem historicam. Miraculum sumitur ut factum historicum; historia potest et debet illud consignare sicut et alia facta positiva. Proinde quaestio reducitur ad hoc: quam fidem merentur testes qui narrant miracula Jesu? habueruntne scientiam et veracitatem?

Scientia: potuerunt bene cognoscere res quas narrant; agitur de factis sensibilibus, publicis, quae acciderunt coram multis et quae longe divulgata sunt; testes sunt homines sani, qui bene potuerunt videre facta et non poterant mentiri quia statim innotesceret falsitas. Propterea hypothesis fraudis hodie derelicta est. Ipsi inimici non negant miracula Jesu, sed tantum imponunt silentium, Act 4,17. Etiam examen internum harum narrationum confirmat hanc veracitatem: hae narrationes entitent tanta rei veritate ut ipsi rationalistae admittant Jésum fecisse facta quae videbantur extraordinaria et miraculosa; modus ingenuus et directus narrandi facta prout acciderunt; nulla ostentatio apparet in Jesu; describuntur miracula cum omnibus adjunctis ex vita reali (cfr Mc 1, 14-39); omnia fluunt naturaliter et spontanee ex vita Jesu.

Obj. quae solent adduci: discrepantiae inter ipsos evangelistas, omissiones... Discrepantiae multoties explicantur ex eo quod Mt narrat factum succincte et secundum substantiam, Mc vero narrat minutim totum evēntum (cfr Mt 9,18; Mc 5,23). Omissio resurrectionis Lazari a synopticis probabiliter explicatur quia hi silent de miraculis patratis in Judaea, non erat his locus in schemate synoptico.—Etiam aliis hominibus eximiis tribuuntur miracula in antiquitate: Apolonio de Tiana, Vespasiano, Asclepio etc Sed collige has narrationes cum evangeliis, toto coelo differunt et statim apparet character fabulosus.

Veritas philosophica.

Supposita veritate historica, facile probatur v. philosophica miraculorum Jesu. Sane rationalistae quid faciunt? Tollunt e medio illa omnia quae naturaliter sunt inexplicabilia et illa alia quae aliquo modo videntur posse explicari admittunt ut historica; sed hoc, ut patet, est methodus prorsus antiscientiphica.

Miracula Jesu esse facta praeternaturalia apparet tam si consideramus totum complexum horum miraculorum, quam ex consideratione aliquorum paucorum in specie. Si primum, apparet Jésum habuisse totam naturam velut sibi famulantem, ratio facti erat sola voluntas facientis, non dependebat in operando a qualibet conditione, faciebat quemque volebat. Jamvero nullum ens limitatum potest agere ita. Hoc dominium absolutum supra creaturas rationales et irrationales non potest naturaliter explicari. Etiam homines obtinent effectus mirov semper applicantur media determinata, semper apparet proportio mediorum ad finem et ratio est quia omnis vis creata est limitata ac proinde nequit agere extra certos limites. In operibus Jesu, vero, nulla proportio apparet mediorum ad finem; nulla media adhibet ad finem obtinendum vel media evidenter inepta et disproportionata et saepissime sola voluntas sua producebat effectum miraculosum.

Inter miracula Jesu sunt aliqua quae eminent perspicuitate veritatis historicae et philosophicae. Prima panum multiplicatio narrata est a 4

evang., habita est coram 5.000 hominum, omnes habuerunt eam tamquam miraculum, propter hoc factum voluerunt eum facere regem, superfuerunt plura fragmenta quam panes erant ante multiplicationem; Jesus ipse pluries alludit ad hoc miraculum... Sedatio tempestatis fuit etiam maxime accommodatum apostolis, utpote qui ex officio bene noverant pericula et tempestates laci. Sanatio caeci nati nullum relinquit locum effugiis inimicorum: homo erat notus omnibus quia publice mendicabat et ipse nunc appareret videns (veritas historica); examinatur medium quod adhibuit Jesus ad effectum producendum: est evidenter insufficiens (veritas philosophica); sed non potest esse a Deo, quia non servat sabbatum: effugium quaerunt in v. theol.; tandem argumentum peremptorium inimicorum est vis et violentia publica...

Insufficientia explicationum rationalistarum:

1. *Psychotherapia*. Haec est methodus sanationis per suggestionem, id est, infundendo fiduciam et optimismum aegrotis. "De die in diem melius me habeo et habebo". Hae ideae constanter propositae ad mentem exercent influxum sanativum in organismum. Multum pendet ab indole medici, nam non omnes habent eamdem vim suggestivam ut sibi concilient fidem aegroti. Jesus vero, ut aiunt, fuit homo maxima auctoritas, inspiravit hominibus fidem certam ipsum posse coram Deo magis quam ceteros homines utpote qui erat propheta ab ipso missus. Et ita suo verbo certo, determinato producebat sanationem. Hae sanationes tunc temporis habebantur ut miracula; ita Jesus habitus fuit tamquam taumaturgus et tribuerunt ei multa alia miracula quae non fecit, nam sunt impossibilia.

Qui dicendum ad haec? Psychotherapia unice applicari potest ad sanationes; Jesus vero fecit multa alia miracula, quorum veritas arbitrarie negatur. Praeterea, haec methodus, ut omnes agnoscunt, non inservit pro infirmitatibus organicis: restituere nervum visivum mortuum, unire denuo os fractum quorum extrema erant jam mortua vel putrida, sanare phthisim in statu provecto... haec omnia numquam possunt obtineri per methodum hanc. Possunt sanari infirmitates functionales, id est, cum organa sunt integra et aegritudo provenit ab aliquo obstaculo quod removetur per influxum psychicum; sed etiam tunc raro evenit sanatio completa et semper requiritur applicatio diurna horum mediorum. Epilepsia resistit huic methodo. Jamvero Jesus sanabat omnes infirmitates, modo instantaneo, efficacia infallibili, etiam absens. Sed objicitur: postulabat fidem. Resp. Non semper (Malcus); aliquoties postulat fidem aliorum (Jairi pro filia, centurionis pro servo, Chajaneae pro filia). Fides quam Jesus postulat est persuasio Ipsum, tamquam legatum Dei posse facere illud miraculum; est dispositio aliqua religiosa, non respicit directe aegritudinem, vult adducere populum ad agnitionem suae messianitatis.

2. *Vires occultae.* Existunt vires naturales occultae quarum vi videntur posse naturaliter explicari miracula Jesu. Telecinesis: imperio voluntatis moventur res meteriales. Telepatia: translatio idearum, commercium immediatum inter animas, etc. Quid dicendum de his? A priori non possumus nec admittere nec rejicere omnia quae narrantur. Saepissime dantur fraudes vel illusiones vel hallucinationes; propterea multi non admittunt haec omnia tamquam facta. Supposita veritate aliquorum, quomodo possunt explicari? Aliqui provocant ad facultates quasdam quas haberet anima humana. Anima humana accepit a Deo quasdam facultates quae generatim in hac vita permanent occultae sed aliquando etiam in hac vita in actum transeunt. Proinde sunt res extraordinariae, abnormales, sed naturales. Alii explicant per interventionem praeternaturalem: angelorum, daemonum, deflectorum... Principium generale sit explicare naturaliter dummodo possit. Aliqui admittunt quasdam radios seu vehicula quibus ideae transmittantur.

Sed quidquid sit de his, explicare miracula Jesu per has vires occultas est vanum. Haec facta occultistica numquam contradicunt legibus physicis certis; sed multa miracula Jesu sunt exceptiones legum certissimarum (suscitationes mortuorum, multiplicatio panum); deinde modus faciendi est absque ulla limitatione vel conditione. Praeterea, quomodo Jesus poterat cognoscere has vires?

Veritas theologica.

Sanctitas moralis Jesu jam fuit probata ex iis quae dicta sunt de Persona Jesu. Ipsa opera miraculosa sunt ex se bona et habent tamquam finem adducere homines ad Deum. Cum non sit aliud medium ad probandum revelationem nisi factum miraculosum, Deus non potest permettere miracula Jesu si hic utitur iis ad confirmationem alicujus erroris. Jamvero Jesum adhibuisse haec signa miraculosa praecise ad hoc ut probaret veritatem suae legationis divinae constat ex veritate relativa.

Veritas relativa.

Jesus considerabat miracula tamquam signa peremptoria suae legationis; ex toto Evangelio apparet clarissime finis et scopus probativus quem in sua mente habebant. "Ut autem sciatis..." Mt 9, 6. Legatio Baptista Lc 7,18. "Tunc coepit exprobare civitatibus..." Mt 11,20. Miracula sunt signa suae messianitatis, Mt 12, 28. Ex fructibus arbor cognoscitur, Mt 12,33. Dabit eis signum Jonae, scilicet signum suae Resurrectionis, Mt 12,38. Cfr etiam Jo 3,2;4,19;5,36;10,25;11,42;15,24.

Objiciuntur aliqua verba Christi. Pseudochristi dabunt signa magna Mt 24,24. Sensus est: facient opera praeternaturalia, sed non divina, quorum falsitas potest agnosciri.—"Multi dicent mihi in illa die..." Mt 7,22. Resp.: est gratia gratis data.—"Nisi signa videritis..." Jo 4,48. Illa signa non erant necessaria, siquidem jam multa alia praecesserant; Jesus non reprehendit fidem ob miracula praestitam, tantum reprehendit exi-

gentiam nimiam.—“Beati qui non viderunt...” Jo 20,29. Thomas habebat rationes validissimas ad credendum in Resurrectionem, tamen renuit credere dum non habeat testimonium sensuum; hanc dispositionem reprehendit Jesus.—Si Moysen et prophetas non audiunt... Lc 16, 31. Ratio est quia habetur mala dispositio voluntatis, non quod miracula non probent.—Dicitur Jesum ponere omnem vim in hac dispositione subjectiva voluntatis Jo 7,17; 10, 26. Jesus non negat valorem probativum miraculorum; sed ut patet, voluntas debet esse moraliter disposita ut accipiat argumenta intellectualia.

THESIS XII

Jesus a mortuis gloriose resurrexit, quod factum eminet inter alia miracula ut sigillum suae divinae legationis.

NEXUS.—Quamvis Resurrectio Jesu sit miraculum physicum, ponitur thesis specialis propter momentum et significationem quam habet; quia, ut patet, in intentione Jesu hoc miraculum est maximum et definitivum inter argumenta quibus veritatem suae legationis probavit.

NOTIONES.—Resurrectio: Reunio ejusdem animae et ejusdem corporis quae morte separata erant, ita ut iterum habeatur idem homo. Ut patet, supponit veram mortem. Cum nemo neget veritatem philosophicam et theologicam hujus miraculi, quaestio restringitur ad probandam veritatem historicam Resurrectionis Jesu.

ADVERSARII.—Quod omnes inimici religionis christianaæ aduersentur huic miraculo, facile intelligitur. Quod non adeo facile intelligitur est quod sic dicti christiani negent hoc factum vel suis explicationibus elidant illud, ut saepissime accidit cum multis theologis protestantibus. Tandem aliquando omnes sententiae adversariorum quae prolatae sunt vel proferri possunt, reducuntur ad has duas: *fraus* aut *illusio*. Fraudem dixerunt jam iudei Mt 28,13. Theoria illusionis habetur jam apud Celsum: *Dicitis Christum resurrexisse? Sed quis vidit eum?* Quaedam mulier et aliqui alii qui hoc somniaverunt et tandem crediderunt se vidisse quod desiderabant videre, ut saepissime accidit... Hae duae explicaciones antiquæ etiam nostris diebus propositae sunt; sed cum non satis explacent fidem primorum christianorum in Resurrectionem Jesu, provocant ad diversas theorias, etiam ad occultismum: *Jesus oculis visus est, et ex hoc orta est persuasio subjectiva primorum christianorum in Resurrectione Jesu.* En conspectus praecipuarum theoriarum:

1. *Th. fraudis.* Reimar etc Apostoli non credebant in Resurrectione Jesu, sed consulto voluerunt decipere. Hodie derelicta est.
2. *Th. mortis apparentis.* Paulus, Spitta. Jesus non vere mortuus est in cruce; positus in sepulcro, expergefactus est, exivit, denuo visus est ab apostolis et tandem disparuit pro semper quin sciamus amplius de illo. Haec theoria irridetur ab ipsis rationalistis.
3. *Th. evolutionis.* Harnack. Christiani primaevi, ut apparet ex fide paschali S. Pauli, non crediderunt in vera et reali resurrectione corporali sed tantum ideali; Paulus loquitur de corpore gloriose, caelesti, novo et pneumatico ex quo volumus superindui; dicit Dominum esse spiritum: ergo haec erat genuina et primaeva fides paschalisi: Christus vivit. Sed deinde per evolutionem additae sunt legendae de sepulcro vacuo et apparitionibus.
4. *Th. sincretistica.* Zimmerñ, Jensen. Legenda inducta ex influxu V. T. (Ps. 15; "secundum Scripturas"), vel ex influxu cultuum paganorum qui colebant deos vegetativos morientes et resurgentes.
5. *Th. visionum subjectivarum.* Meyer. Fides primorum christianorum non satis explicatur praecedentibus theoriis; persuasio illa subjectiva adeo vivida supponit aliquod factum. Facta acciderunt plus minusve ita: post mortem Jesu Apostoli redierunt in Galilaeam, sed frequenter veniebat eis in mentem memoria Jesu, praesertim recordationes temporis gloriosi quod cum eo transegerant; hae recordationes excitabant desiderium, fidem et spem videndi Jesum. Ex qua excitatione oritur sponte viva quaedam Jesu imaginatio, quae in Simone Petro tantam acquirit claritatem ut sibi videretur Jesum oculis conspicere, audire sibi loquentem. Ita incepit dicere: "vivit, surrexit a mortuis". Libentissime laetum nuntium audiunt, vi suggestionis eandem ac Petrus experientiam internam habent, modo singuli, modo plures: en facti resurrectionis fundamentum. Non potuerunt distinguere istas hallucinationes a rerum veritate; tantae vivacitatis erant ut certi essent de earum objectivitate. Argumentum peremptorium habetur visio Pauli damascena, quae dicitur fuisse hujus generis, et ipse Paulus aequiparat hanc suam visionem cum apparitionibus. Ita auctores longe plurimi liberales.
6. *Th. irrationalis.* R. Otto. Resurrectio Jesu est veritas religiosa; ideo nequit comprehendendi conceptibus intellectualibus, percipi debet fide et experientia. Nec sepulcrum vacuum nec factum historicum nec visiones subjectivae admittendae sunt. Resurrectio Jesu imponitur nobis ex experientia interna modo aliquo irrationali. Paulus et Apostoli experti sunt Jesum vivum. Apparitiones non sunt nisi experientia aliqua mystico-pneumatica, cognitio in spiritu. Cetera quae leguntur in N.T. sunt legendaria et habent valorem ut symbola et ideogrammata.
7. *Th. visionum objectivarum.* Dobschütz, Korff. Hi admittunt aliquod miraculum vel factum divinum quod fuit initium religionis christiana. Ad-

mittunt apparitiones reales Jesu, sed negant realitatem resurrectionis.

8. *Th. occultistica*. Hoffmann. Corpus Jesu quod videbant apostoli erat emanatio aliqua obtenta vi occultismi.

Protestantes conservativi affirmant realitatem Resurrectionis, sed insistunt in illa differentia inter scientiam et fidem, inter Christum historicum et Christum fidei, minus attendunt ad factum historicum resurrectionis; resurrectio percipi debet fide et experientia; juxta aliquos, nec requiriatur certitudo historica facti.

CENSURA.—Articulus fidei ex symbolo. Factum historicum est pro catholicis fundamentum fidei.

PROBATIO.—Tota vis argumentationis nititur in facto aliquo historico indubio, scilicet in fide primorum christianorum in resurrectione corporali Jesu. Haec fides primaeva qualis fuerit debet sufficienter explicari. Argumentum proinde reducitur ad hoc: fides paschalis non intelligitur sine facto paschali.

Qualis fuerit fides paschalis ex testimonio fontium exponitur. Testimonia praecipua sunt: S. Paulus in 1 Cor 15 et Evangelia.

1.—*Exponitur 1. Cor 15.*

Haec epistola scripta est a. 55/56. Dubia aliqua exorta sunt in ecclesia corinthiaca circa resurrectionem mortuorum, aliqui negabant vel dubitabant de hac veritate. Ad refellendum hunc errorem Paulus provocat ad resurrectionem Jesu, veritatem ab omnibus admissam, utpote qui eam amplexi fuerant jam in prima praedicatione evangelii. Ergo cum Paulus prima vice praedicavit evangelium Corinthi a. 49/50 fides in resurrectione Jesu erat nota et certissima. Et Paulus praedicabat hanc rem non tamquam doctrinam suam, sed ut rem sibi traditam, christianam, communem omnibus christianis, articulum fidei. "Tradidi, quod et accepi: quoniam..." In graeco habetur "oti" recitativum, quod prodit formulam fixam velut symbolum quod probabiliter docebatur catechumenis. Sed quidquid sit de hoc, veritates hic edoctae pertinent ad traditionem, ad complexum doctrinarum quas omnes christiani credunt. Haec unanimitas effertur v. 11: "sive ego, sive illi, sic praedicamus..." Apparet etiam momentum doctrinae in mente Pauli; enumerat eam inter articulos fidei, adducit testes hujus facti historici, incipit caput verbis sollemnibus...

"Quoniam Xtus mortuus est... et sepultus est". Omnes intelligunt haec de vera et reali morte corporali Jesu et de depositione cadaveris in sepulcro. "Secundum Scripturas": sensus est: quoniam Jesus est Messias ille in V.T. promissus, in ipso impleta sunt vaticinia messianica, etiam illa quae loquuntur de ejus morte. "Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas" (egegertai). Hic jam rationalistae nolunt admittere Paulum agere hic de resurrectione corporali. Debebat meminisse sepulcrum vacuum, et nihil dicit de hoc. Jam apparet absurditas objectionis. Si mors fuit realis, similiter et resurrectio; ergo sepulcrum fuisse vacuum

jam intelligitur. Mors: separatio animae et corporis. Resurrectio: iterata unio horum elementorum. Illa determinatio temporis "tertia die" nullo modo intelligitur si Paulus non agit hic de nova unione corporis et animae Jesu. Sensus proinde est clarus: corpus Jesu permansit separatum ab anima usque ad tertium diem; hac die, denuo informatum ab anima, redidit ad vitam. "Secundum Scripturas": haec citatio Scripturae non sese refert ad determinationem tertiae diei sed ad factum resurrectionis, quod continetur in Scriptura, similiter ac mors expiatoria Messiae. Vox adhibita hoc loco ad designandam resurrectionem Jesu est eadem quae adhibetur in evangeliis cum narrantur suscitations mortuorum a Jesu factae (anastenai, egeirein); ipsissimae voces apparent etiam in praedictionibus Jesu de sua morte et resurrectione. Ergo Resurrectio Jesu intelligebatur hoc sesu obvio et reali. Opponunt adversarii Mt 22,30 "erunt sicut angeli Dei": ergo juxta mentem Jesu resurrectio generalis non intelligitur cum corpore reali. Sed sensus loci est clarus; ibi non erunt hae functiones vegetativo-generativae. Resurrectionem sensu proprio intellectam praedicavit Paulus in Areopago et irridebatur Act 17,31.

Sicut omnes admittunt, resurrectio Jesu et resurrectio generalis debent esse ejusdem generis, nam tota argumentatio Pauli exigit hoc. Sed adversarii contendunt resurrectionem generalem juxta S. Paulum non esse corporalem, ergo neque resurrectionem Jesu. Negatur hoc. Resurrectio universalis intelligitur a S. Paulo sensu proprio ut patet: "resurrectio mortuorum" (15,12), "mortui qui resurgunt" (15,15), "qui dormierunt in Christo et excitantur, etc Christus destruet mortem" (15,26). Mors hic intelligitur corporalis, ut patet, et Victoria supra mortem non potest esse nisi vita in eodem ordine, scilicet corporalis. Sed adversarii contendunt Paulum exhibere alium conceptum resurrectionis I Cor 15,35. Negamus hoc Paulus agit hic de qualitate corporis resuscitati; non obstante identitate cum corpore mortali, corpus resuscitatum differt ab hoc. Et ponit comparisonem seminis in terram missi. Hoc semen vel granum non totaliter disparet sed superinduit novam aliquam formam et transformatur in arborem: ita etiam corpus mortale est principium corporis resuscitati. *Quod* seminas, vivificatur. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale (v. 44). Existit diversitas qualitativa inter corpus gloriosum et mortale, sed non specifica; corpus gloriosum elevatur ad modum operandi similem angelorum; praeterea existit varietas inter ipsa corpora gloria (v. 41).

Sed quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt et corpus animale coelum intrare non potest (v. 50), transformatio seu immutatio aliqua praecedat oportet. Etiam illi qui non gustabunt mortem, transformationem hanc corporis subibunt: "omnes non moriemur, sed omnes immutabimur" (v. 51). Etiam in alia epistola loquitur de hoc naturali de-

siderio non moriendi: nolumus exscoliari sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita, 2 Cor 5, 2.

Aliqui objiciunt: Paulus tota sua argumentatione non intendit probare nisi immortalitatem animae, non resurrectionem corporum, ut appareat ex v. 19 et 32. Resp. Debemus attendere ad ideam fundamentalem: si mortui non resurgent, neque Christus resurrexit, ergo vana est fides nostra, falsa Religio nostra, Jesus non est Messias nec redemit nos. Haec est idea centralis totius pericopae.

Dé apparitionibus.—Paulus enumerat sex apparitiones. Nullus evangelista, singillatim sumptus, habet tantas. Apparitiones quas enumerat Paulus et apparitiones quas describunt evangelistae proveniunt omnes ex eadem traditione christiana; si aliquis omittit aliquam, ex hoc non concludi debet ipsum nihil scire de illa apparitione sed omissio tribui debet rationibus litterariis. Paulus nihil dicit de apparitionibus mulierum, sed ratio jam appareat, quia vult proferre testes plenos et legitimos, vere authenticos, maxime apostolos. Cujus vero naturae sunt apparitiones de quibus Paulus facit mentionem? Quia apparitiones sunt argumentum resurrectionis, natura earum debet correspondere naturae resurrectionis. Si resurrectio intelligitur realis, tunc "visus est" sumi debet etiam sensu reali et objectivo. Sed si Apostolus agit tantum de vita idealis vel spirituali Jesu, apparitiones non essent nisi visiones subjectivae. Quo sensu intelligat Paulus resurrectionem jam probatum est, ergo et apparitiones intelligendae sunt reales, cum corpore resuscitato. Praeterea, ut omnes admittunt, ceteri scriptores N.T. loquuntur de apparitionibus objectivis et realibus; quomodo concipi potest quod Paulus adhibens eadem termina, intelligat ea in sensu adeo diverso, in re in qua diserte provocat ad consensum aliorum apostolorum? Verbum "videre" ex se significat visionem organicam, corporalem, nam agitur de videnda Persona aliqua; qui eum viderunt fuerunt aliqui pauci et tempore quodam determinato. Nullus Corinthiorum vidit Christum hoc modo, quamvis gaudebant carismatibus visivis vel cognoscitivis, 1 Cor 12,8; 14,1. Ipse Paulus fuit ultimus qui vidit Christum hoc modo, v. 8. Ergo jam appareat, Paulus loquitur de visione vera et reali.

Sed objiciunt: Paulus aequiparat visionem prope Damascum apparitionibus ceterorum apostolorum. Jamvero, juxta rationalistas, visio haec Pauli fuit absque dubio experientia aliqua interna, subjectiva, ergo similiter apparitiones apostolorum. Resp. Paulus aequiparat visionem sibi factam apparitionibus apostolorum, non vice versa, nam vult probare suum apostolatum esse eundem ac ceterorum. Si apparitiones apostolorum fuerunt reales, etiam visio sibi facta debuit esse realis. Sed adversarii insistunt in eo quod Paulus clare describat visionem prope Damascum tamquam experientiam aliquam subjectivam, cfr. 1 Cor 9,1; Gal 1,16; 2 Cor 4,6. Sed hi textus nullo modo excludunt visionem realem. Paulus loqui-

tur etiam de aliis visionibus, sed clare discernit has de apparitione damascena, 2 Cor 12,1. Descriptiones apparitionis prope Damascum habentur Act 9,1; 22,6; 26,12.

(Fides paschalis qualis appareat in aliis libris N.T., cfr Rom 8,11; Act 1,22; 2,24; 3,15; 4,10; 5,30; 10,40; 13,30; 17,31; 23,6; 24,15).

2.—*Testimonium Evangeliorum.*

Si tota vita Jesu, multo magis haec ultima pars —Passio, Mors, Resurreccio— accurate narratur in Evangelii propter momentum horum eventuum. Quatuor evangelia exorta sunt ex una eadēque traditione, ergo habent fontem communem; sed tamquam opera litteraria possunt inter se differre.

Imprimis, in evangeliis invenimus multas praedictiones resurrectionis. Multoties locutus est Jesus de sua futura resurrectione, adhibens hoc factum velut argumentum p̄eremptorium suae legationis divinae. Signum Jonae Mt 12,39. Destruite templum hoc... Jo 2,18. Synoptici referunt accusationes coram Synedrio propter hoc verbum, Mt 26,61; et quomodo illudebant eum in cruce hac de causa, Mt 27,40. Praedictiones pariter de morte et resurrectione habentur Mt 16,21; 17,23; 20,19; 26,32. In omnibus invenitur determinatio tertiae diei. Hae praedictiones notae erant ab adversariis, quia propter illas posita est custodia militum ad sepulcrum, Mt 27, 62.

Similiter ab omnibus evangelistis describuntur accurate circumstantiae mortis Jesu. Theoria mortis apparentis omni probabilitate destituta est. Tam discipuli quam mulieres, adversarii, milites, centurio, Pilatus... omnes fuerunt certissimi Jesum mortuum fuisse. Nullus in antiquitate cogitavit in hac hypothesi mortis apparentis, quia non erat ansa ad hanc suspicionem, siquidem Jesus ex quo sepultus est jam amplius non sese manifestavit publice.

Pariter evangelia describunt nobis sepulturam et sepulcrum Jesu: quomodo erat sepulcrum, quomodo conditum est corpus Jesu, custodiam militum etc.

Die dominica, primo mane, mulieres vadunt ad monumentum ungerere corpus Jesu. Quoad nomina mulierum videntur inter se non concordare evangelistas, sed jam Lc dicit fuisse etiam plures aliae quarum nomina omittit. Jo unice loquitur de Maria Magdalene, sed implicite videtur supponere alias in illo plurali: "nescimus..." (Jo 20,2). Probabiliter mulieres ignorabant custodiam militum, siquidem in via loquebantur de impedimento lapidis et videntur nihil scire de hoc majori impedimento. Ut quid volebant ungere Jesum si jam feria sexta unctionis fuerat? Jo insinuat propter proximitatem Parascevis tunc omnia aliquatenus celeriter facta fuisse, et nunc, transacto die sabbati voluerunt omnia rite perficere.

Mulieres inveniunt sepulcrum vacuum. Angeli apparent eis, nuntiantes resurrectionem Jesu et mandatum dantes ut communicent hoc nuntium

apostolis. Quoad haec sunt aliquae variationes inter evangelistas. Mt solus loquitur de terraemotu; angelus descendit, removit lapidem et fugavit custodes, hic angelus loquitur mulieribus. Jo unice loquitur de Maria Magdalene quae venit ad sepulcrum et invenit illud vacuum, accurit ad civitatem et communicat rem Petro et Joanni, hi similiter veniunt ad monumentum et cognoscunt rem ita se habere et reddeunt; sola Maria Magdalene remanet juxta monumentum plorans et tunc vidi duos angelos. Mandatum angelorum juxta Mt et Mc fuit: quod vadant in Galilaeam, ibi eum videbunt. In Lc hoc mandatum traditur alio modo; nihil dicitur de apparitionibus Galilaeae.

Quoad apparitiones ipsas similiter est quaedam varietas. Mt tantum refert duas: apparitionem ad mulieres in via et apparitionem coram undecim in monte Galilaeae. Lc narrat vel cognoscit plures: mulieribus, Petro, discipulis Emmaus, undecim, tandem die Ascensionis. Jo: Mariae Magdalene, decem apostolis, undecim apostolis post dies octo, et in appendice narrat apparitionem Tiberiadis. Ex hoc arguunt rationalistae: appareat evolutio quaedam inducta vi imaginationis, scilicet processus quo legendae et fabulae efformantur; praeterea fontes antiqui (Mt et Mc) indicant Galilaeam tamquam locum apparitionum, fontes vero magis recentes (Lc et Jo) referunt apparitiones Jerusalem. Ergo clarissime appareat processus evolutionis ope imaginationis quae legendam paulatim effingere solet.

Quid dicendum ad haec? Haec explicatio est prorsus arbitraria et rejicienda, nam differentiae explicantur optime ex indole litteraria peculiari uniuscujusque evangelii. Evangelium Mt, ut notum est, habet ordinationem seu dispositionem artificiosam, seligit tantum illa quae ad finem suum litterarium convenient; inter apparitiones Jesu seligit tantum unam, quae eminet inter alias propter suum momentum, et quoniam haec accidit in Galilaea, nihil dicit de aliis quae acciderunt Jerosolymis; apparitio ad mulieres narratur quasi per transendum, tamquam praeparatio ad apparitionem galilaicam.—De evang. Mc nihil dicemus, quia existit quaestio quoad conclusionem hujus evangelii.—E contra Lc silet de apparitionibus in Galilaea et tantum narrat illas quae acciderunt Jerosolymis, sed etiam hoc explicatur ex rationibus litterariis. Quoniam Ascensio habuit locum in civitate Jérusalem et hic incepit historia Ecclesiae, omittit cetera tamquam minus necessaria ad suum scopum et etiam tacet de mandato eundi in Galilaeam.—Jo tantum narrat apparitiones jerosolymitanas; hic seligit apparitionem factam coram duodecim, iteratam post octo dies praesente S. Thoma, tamquam essentialem et praecipuam, et ita in sua narratione non erat locus apparitionibus in Galilaea; sed postea in appendice narravit nobis unam ex his apparitionibus, quia ratio aliqua particularis ita postulavit; ex hoc patet quomodo in casu non valeat argumentum e silentio.

Unusquisque desumpsit ex traditione illa quae ad scopum operis conveniebant. Omnia explicantur ex indole propria singulorum scriptorum.

Apparet ergo clarissime apostolos habuisse hanc subjectivam persuasionem, nempe ipsos oculis vidiisse Jesum corporaliter resuscitatum, objective et realiter. Initio habuerunt dubia, sed Jesus abstulit illa dubia signis et argumentis variis suae praesentiae corporalis. Reactiones psychologicae gaudii, timoris, dubii, silentii reverentialis etc sunt realisticæ descriptæ in narrationibus evangeliorum. Ergo fides primaeva in resurrectione corporali Jesu est certissima.

Haec fides non explicatur sine facto Resurrectionis.

Revera haec fides quomodo oriri potuit? Per hallucinationem collectivam? Rationalistæ dicunt: apostoli habebant cupidinem videndi Jesum et tandem persuasi sunt vidise illum. Sed haec suppositio est contraria fontibus. Dispositio psychologica discipulorum post mortem Jesu non erat quae a rationalistis supponitur (cfr quae inter se loquebantur in itinere Emmaus). Praeterea, cur apparitiones Jesu fuerunt tam paucae et spatio temporis tam determinato? Si erant hallucinationes cur non acciderunt post quadraginta dies?

Praeterea, effectus quos haec fides paschalis producit sunt plene inexplicabiles si illa fides non habebat aliud fundamentum quam hallucinationem. Nam illae apparitiones confirmarunt fidem discipulorum, et ille amor ardens Jesu, studium et labor perseverans in dilatanda religione Jesu habent fundamentum in fide resurrectionis; et haec omnia non explicantur per hallucinationem. Historia subsequens Christianismi redditur inexplicabilis si non admittitur factum Resurrectionis Jesu.

SCHOL. De linteamine Augustae Taurinorum asservato.

THESIS XIII

Veritas religionis christianaæ probatur ex ejus admirabili propagatione intra tria prima saecula.

NEXUS.—Incipimus jam quartam et ultimam partem nostri tractatus. In hac ultima parte considerabimus aliqua signa divina quae miscant in opere Christi, scilicet in religione ab ipso fundata. Sed hic unice attendimus ad illa signa divina quae apparent in initiosis hujus religionis, nam cetera, scilicet illa quae pertinent ad vitam hodiernam Ecclesiae, relinquuntur pro tractatu De Ecclesia. In concreto considerabimus tria facta historico-socialia quae constituunt miracula moralia quibus Deus testatur veritatem hujus religionis, scilicet propogationem Christianis-

mi, mutationem morum ab ipso Christianismo in societate antiqua induc tam et martyrium Christianum; et denique argumentum quod eruitur ex examine interno hujus religionis. Et ita compleur tota materia. In hac thesi agimus de propagatione.

NOTIONES.—Termini theseos non egent explicatiōne. Sensus est: propagatio illa, prout accidit, cum carentia mediorum proportionatorum et inter tot tantasque difficultates, non explicatur naturaliter; factum illud historicum constituit aliquod miraculum morale, scilicet debet explicari per interventum Dei, qui hoc modo voluit testificare veritatem hujus religionis. Recole notionem miraculi moralis.

ADVERSARII.—Hi non negant factum historicum tam celeris propagationis, sed conantur explicare illud naturaliter. Harnack explicat per unitatem imperii et linguae et contemptum in quo erat cultus deorum, per zelum missionariorum, per syncretismum religiosum romanorum (id est, dispositio animi quae admittebat omnes novas religiones) et per ecclēcismum Christianum (siquidem religio Christiana juxta Harnack est velut synthesis quaedam perfecta colligens omnia elementa bona cetearum et ideo non poterat non placere Romanis). Ita plus minusve etiam alii: Renan, Gibbon, Lecky...

CENSURA.—D 1794, 1638. (Illa omnia, doctr. cath; thesis nuda, certum).

PROBATIO per quadruplicem veritatem miraculi.

1.—*Veritas historica.*

1. *Diffusio geographica.* “Merito Patres s. IV —dicit Harnack— pūtaverunt religionem suam citius propagatam esse quam quis capere possit. 70 annis post fundationem primae ecclesiae, ex pagano-christianis compositae, Antiochiae in Syria, scribit Plinius de propagatione religionis Christianae in Bithynia, longe distante... jam timens, ne religio haec ceteris religionibus in ista provincia prævaleat. Iterum post 70 annos disputatio de celebratione Paschatis supponit confoederationem ecclesiarum Christianarum, quae ab urbe Lugdunensi ad urbem Edessenorum extenditur et Romæ centrum habet. Iterum post 70 annos Decius dicit se malle Romae adesse alium Caesarem quam episcopum Christianum; et 70 annis ulterioribus nondum effluxis, crux adnectitur signis militaribus romanis”. Saec. III etiam extra limites imperii romani Christianismus florebat: in Britannia, Persia, Armenia, Arabia, Aaetiopia... Cfr Kirch, n. 59, 207.

2. *Diffusio numerica.* Initio s. II Plinius scribit “propter periclitantium numerum”. Classicum est etiam testimonium Tertulliani, R 279. Quae Eusebius scribit de statu Ecclesiae ante persecutionem Diocletianam, K 444. Constantinus non potuisset dare edictum pacis si magna pars imperii non esset jam de facto Christiana.

3. *In omni classi sociali.* Initio maxima pars christianorum erant pau-
peres, servi etc sed mox ingrediuntur viri magni ingenii, nobiles, etc Tes-
timonium Arnobii R 621.

4. *Obstacula conversionis.* Fundator religionis erat Judaeus, filius
gentis despectissimae, morte turpissima affectus et ut Deus adorandus.
Praedicatori primi Galilaei inculti et timidi. Doctrina theoretica inimica
omnium aliarum religionum. Summa potestas civilis Romanorum simul erat
summa potestas religiosa, imperatores cultum divinum postulabant et exis-
tebat velut compenetratio quaedam paganisum inter et universam vitam
socialem romanorum. Doctrina practica erat austera et postulabat virtu-
tes morales valde difficiles. Accesit vis physica...

II.—*Veritas philosophica.*

Factum hoc postulare causam praeternaturalem. Ita consideraverunt
Patres et apologistae coaevi. R 516

Et revera hoc ostenditur:

Motus socialis heroicus naturaliter vel non incipit vel saltem mox de-
sinit nisi timentur mala sensibilia vel sperantur bona sensibilia. A—pro-
pagatio relig. christiana intra 3 prima saec. constituit motum hujuscemo-
di qui non debetur his causis naturalibus. E—postulat causam praeter-
naturalem.

Heroicus dicitur quia undequaque bonus et quia supponit obstacula
maxima superanda. Naturaliter homines multum moventur rebus sensi-
bilis, parum rebus suprasensibilis. Homines ob res sensibiles obsta-
cula maxima superant; ubi motiva sunt suprasensibilia, pauca individua
ea superant, multitudo numquam aut non diu. In casu nullum aderat mo-
tivum sensibile, e contra sequebantur maxima mala sensibilia.

Adversarii provocant ad causas naturales: dispersio judaeorum, de-
siderium religionis purioris, unitas imperii romani et linguae. Haec ad-
juncta effecerunt quidem ut obstacula externa minuerentur, sed non ex-
plicant adaequate effectum. Multae ex causis faventibus favebant pariter
persecutoribus. Cur systemata philosophorum, v. gr. Platonis, non aequi-
late ac celeriter diffusa sunt? Zelus apostolorum, principium auctoritatis...
sed haec ipsa postulant causam, quae vix dici potest naturalis. Syncre-
tismus religiosus potius auget difficultatem, nam religio christiana sese
exhibebat tamquam unica vera et exclusive profitenda.

III.—*Veritas theologica.*

Hic effectus praeternaturalis debetur auxilio speciali vel Dei vel dae-
monis. A—non daemonis, nam fides christiana tota opponitur daemoni.
Hoc auxilium divinum consistebat in gratiis externis quibus Providentia
adjuncta externa ita moderatur ut praedicatio evangelii quam celerrime ad
aures multorum perveniret, et in gratiis internis sine quibus conversio-
nes non explicantur.

IV.—*Veritas relativa.*

Si Deus speciali auxilio adjuvit religionem christianam et haec provocat ad tale auxilium tamquam ad argumentum suae veritatis, signum est quod revera Deus voluit ita testificare veritatem hujus religionis; secus Deus fieret testis falsitatis vel ad minus testis virtualis erroris.—*Obj.* Etiam aliae religiones celeriter propagatae sunt. R. Non arguimus ex nuda celeritate sed ex celeritate cum adjunctis concretis.

THEISIS XIV

Veritas religionis christiana probatur ex mutatione morum quam haec religio in societatem antiquam induxit.

NEXUS.—Post propagationem Christianismi logice tractanda venit thesis de effectibus hujus conversionis seu propagationis. Hi effectus morales sumuntur tamquam miraculum morale, factum scilicet historico —sociale quod naturaliter non potest adaequate explicari, ut in th. praec.

NOTIONES.—“Mutatio morum”, scilicet conversio ad vitam virtuosam et honestam ex pristinis vitiis et luxuriis. Hi fructus morales seu virtutes conversorum ex Paganismo sumuntur in th. tamquam miraculum morale, scilicet supponunt talem victoriam supra passiones et concupiscentias hominis, qualem non potest obtineri sine auxilio aliquo specialissimo Dei. Experientia quotidiana et historia docent nos quoisque extendantur vires humanae in hac re et de impotentia qua laborat in hoc ordine. Propterea merito arguimus spectaculum renovationis morum et virtutum quod Christiani conversi ex Paganismo praebuerunt esse factum aliquod praeter naturale, miraculum morale ad testandam veritatem religionis christianae.

ADVERSARII.—Rationalistae concedunt factum historicum mutationis morum, sed explicant naturaliter ex nova doctrina, ex exemplo Christi et Apostolorum, etc

CENSURA.—D. 1794, 1638. (Sicut in th. praeced.)

PROBATIO.—I *Veritas historica.*

Considerari debet terminus a quo, scilicet status generalis corruptionis morum tempore apparitionis Christianismi, et terminus ad quem, seu renovatio virtutum inter christianos conversos e Paganismo.

Possunt adduci multa testimonia historica. Rom 1,24-32 corruptionem morum inter paganos. 1 Cor 6,9-11 “et haec fuistis, sed jam mundati estis”. 1 Ptr 4,3-4 gentiles admirantur quia non concurritis ad vitia eorum. Epistola ad Diognetum R 97. Aristides R 112. Justinus R 118. Theophilus Antiochenus R 186. Irenaeus R 263. Minucius Felix R 271, 273.

Tertullianus R 283, 285. Lactantius R 639. Plinius in epistola ad Trajanum, Galenus, Julianus Apostata et Lucianus a Samosata, quamvis inimici christianorum, agnoscent virtutes eorum. Caritas in pauperes, mutua dilectio, humilitas, cultus castitatis, amor erga Deum, erga inimicos etc floruerunt prima vice in societate illa quae non habebat nec ideam talium virtutum.

II.—*Veritas philosophica.*

Ut appareat praeternaturalitas hujus facti debemus considerare quam difficile est quod homo assuefactus quibusdam vitiis relinquat ea et amplectatur virtutes oppositas. Difficultas est multo major si agitur de magna multitudine hominum. Alius vel alter fortasse possit superare has difficultates, sed homines in genere non solent nec possunt, teste experientia; ergo si in casu evenit, tribuendum est auxilio speciali Dei.

Haec renovatio morum et virtutum erat maximum argumentum pro religione christiana apud paganos et apud ipsos apologistas christianos quia evidenter monstrabat divinitatem talis religionis.

Veritas *theologica* et *relativa*, ut in th. praeced.

THESIS XV

Veritas religionis christiana probatur ex constantia martyrum christianorum trium primorum saeculorum

NEXUS.—Etiam haec thesis considerat factum aliquod sociale et historicum, martyrium ut accidit tribus primis saeculis, probans hoc factum constituere miraculum morale et argumentum veritatis nostrae religionis.

NOTIONES.—“Martyr”: testis. Dogmatice seu notio theologica martirii est haec: perpessio poenae mortiferae, voluntarie et patienter toleratae et inflictae in odium fidei vel aliarum virtutum (cfr DTC Martyre col 220-233). Apologetice martyres sunt ii quorum actus fortitudinis heroicæ poni non possunt nisi cum auxilio specialissimo Dei. Sensus proinde nostrae theseos est hic: hoc factum sociale et historicum martyrii christiani, cum omnibus illis adjunctis quibus accidit tribus primis saeculis, superat vires naturae humanæ, non potest explicari sine auxilio Dei specialissimo quocum volebat Deus testificare veritatem religionis christianaem.

ADVERSARII.—Contra veritatem historicam Dodwell, Gibbon, asserentes martyres fuisse valde paucos. Mommsem et Harnack: necati fuerunt propter delicta politica vel propter alias causas. Contra veritatem philosophicam: constantia martyrum explicatur per fanaticismum, per educationem tecnicam quam Ecclesia filiis suis dabat (Riddle). Contra veritatem

relativam, Boissier: *juxta hunc martyrium probat sinceritatem martyrum, sed non veritatem objectivam religionis.*

CENSURA.—D 1638, 1794 (ob invictam stab.) Ut in th. praeced.

PROBATIO.—I *Veritas historica.*

1. *Numerus.* In quatuor ultimis persecutionibus numerum fuisse valde magnum ex documentis historicis constat (ex Actis, ex Dion. Alex., Eusebio...) Cfr K 448-452. Quoad priores documenta sunt pauciora, sed Tacitus et Clem. Rom. loquuntur de ingenti multitudine quae passa est sub Nerone; cfr etiam Justinus R 144, Minucius Felix etc Existebat in Ecclesia velut praeparatio habitualis ad martyrium, quod non intelligitur si factum martyrii non esset sat frequens et imminens.

2. *Causa.* Dubium non est quin motivum fuerit professio religionis christiana. Trajanus jubet christianos liberandos esse si diis sacrificent. Ex quo leges prohibebant religionem christianam, professio hujus religionis erat crimen politicum.

3. *Tormenta.* Physica: cfr Tacitus K 34, Eusebius 1. c., Lactantius R 640. Moralia: diurnitas et duratio, quia consulto volebant facere apostatas, non martyres, infamia et ludibrium, lacrimae familiarium suorum...

4. *Diversitas.* Ex omni aetate, sexu, conditione.

5. *Virtutes martyrum.* Nulla vis ut mortem impedit, nullum odium; nullum vestigium fanaticismi aut superbiae. Humilitas, suavitas in responsis, prudentia, alacritas et gaudium. Haec patent ex Actis Martyrum, Cfr K 71.

6. *Effectus martyrii.* Multi pagani qui testes fuerunt constantiae martyrum conversi sunt ad religionem christianam. R 285.

7. *Duratio persecutionum.* 6 anni in saec. I, 86 in II, 24 in III, 13 in IV. Sed inde a Nerone nomen christianum erat crimen morte dignum. Axioma juridicum: "Non licet esse Christianos".

II *Veritas philosophica.*

Dubium non est quin martyres christiani, si sumuntur in globo, longe superent fortitudine illa omnia exempla heroismi vel quasi heroismi quae possunt considerari, e. gr. heroes nationales, exploratores, ita vocati "martyres scientiae"... Hi enim semper sunt paucissimi, habent motiva prorsus naturalia ut amor patriae, fama, pecunia... Nec comparari possunt matres quae multum patiuntur propter filios vel ii qui in operationibus chirurgicis patienter sustinent multa; nam motivum est amor prorsus naturalis sive filiorum sive vitae propriae.. Nec comparari potest exemplum militum qui heroicè pugnant in bello, nam multo major est heroismus patientiae quam heroismus pugnae.

Ergo factum hoc non habet simile quid in humanis nec potest naturaliter explicari. Natura humana horret ipsam imaginationem tormentorum et mortis tam atrocis. Si martyrium explicari posset per vires humanas, explicari deberet vel per fanaticismum, vel per superbiam et pertinaciam, vel

per spem gloriae humanae, vel per influxum idearum praemii et poenae alterius vitae. Sunt praecipua motiva quae in casu numerari possunt. Jamvero martyres christiani non apparent ut fanatici, nam fanaticus potius impellit ad injurias aliis inferendas quam ad eas patienter ferendas. Homo fanaticus ita possidetur ab una idea ut amittat rectum judicium quoad alias; sed martyres manifestabant alias virtutes quarum erat occasio. Superbia, pertinacia: non apparent hi defectus in martyribus christianis. Spes gloriae: in plurimis non poterat esse locus talis spei. Praeterea est prorsus impossibile ut tot homines in temporibus et locis adeo diversis moveantur his motivis ad subeunda tormenta crudelissima et mortem ipsam. Spes praemii aeterni et timor poenae alterius vitae certe habuit suum influxum, sed rem non explicat adaequate, nam motiva alterius vitae ordinarie non habent tantam vim in homine, maxime cum habentur in contrarium motiva fortissima ordinis sensibilis. Ergo merito concluditur praeternaturalitas facti. Vide quomodo apologista Lactantius hanc ipsam persuasionem ex vulgo colligebat, R 640.

III *Veritas theologica.*

Hoc auxilium praeternaturalare est vel a Deo vel a diabolo. Non a diabolo, nam martyres illi patiebantur ob professionem fidei christianaे, quae tota quanta opponitur diabolo. Multis paganorum astantibus persuasum erat martyres christianos non esse passos sine speciali auxilio divino; ideo enim ad fidem christianam conversi sunt, v. gr. S. Justinus Martyr.

IV *Veritas relativa.*

Si Deus speciali auxilio adjuvit martyres christianos ut possent fidem christianam testificare usque ad mortem, eam approbavit ut veram; secus enim esset testis erroris.

Obj. Etiam aliae religiones habent homines qui patiuntur et moriuntur propter eas. R. Transeat; sed martyres quorum fortitudo non possit explicari sine speciali auxilio Dei, N.

—Martyrem non facit poena sed causa. R, hoc est dogmatice, nos procedimus apologetice.

SCHOLION. *Alius modus proponendi argumentum martyrii.* Aliqui procedunt ita: Innumerabiles martyres professi sunt fidem christianam firmissime usque ad mortem. Haec adhaesio subjectiva tam firma non explicatur per fanaticum, vanam gloriam etc, postulat motiva objectiva, scilicet, motiva certa extrinseca quae martyres sciverunt et cognoverunt vel immediate vel mediate et ex quibus certi erant veritatis objectivae religionis christianaе. Ergo religio, talibus motivis innixa, est vera.

SCHOL. *Miracula physica post-evangelica.* Veritas religionis christianaе poterat etiam probari per miracula physica post- evangelica. Plurima horum historice bene attestata sunt et nexus hōrum miraculorum cum religione christiana etiam patet; sed non videtur necessarium. Recole conclusionem Mc, miracula in Act, in scriptis Patrum etc.

THESIS XVI

Interna excellentia religionis christiana suadet ejus originem per revelationem.

NEXUS.—In hac ultima thesi accurrimus ad criteria interna, nam et ipsa habent suum valorem, imprimis ad confirmationem et complementum. Cum veritas religionis christiana aliunde seu per criteria externa firmissima jam est probata, ipsa natura rerum videtur postulare ut instituatur examen aliquod internum ipsius religionis ad rem undeque complemdam. Praeterea ex examine interno religionis christiana potest efformari argumentum constituens verum criterium externum si re vera possumus probare sistema adeo harmonicum veritatum christianarum, supposita impotentia hominis in re religiosa, superare vires pure humanas et non posse explicari sine interventu Dei. Sed nos ponimus thesin ut criterium proprie internum.

NOTIONES.—*Interna excellentia*, hoc est, excellentia doctrinae, ejus conformitas cum ratione, trancendentia supra omnes alias religiones, conformitas cum aspirationibus et indigentias religiosis hominis, etc.

ADVERSARII.—Rationalistae generatim agnoscent excellentiam religionis christiana, sed explicant tamquam fructum evolutionis naturalis, ut si religio christiana esset synthesis aliqua facta ex judaismo, et hellenismo. At sunt etiam qui negant hanc ipsam excellentiam, imprimis Nietzsche. Juxta hunc, religio christiana est bona pro miseris, servis et inferioribus, sed inepta et indigna hominum superiorum, populi et stirpes sanguinis nobilitate praestantes debent illam rejicere. Fructus hujus ideologiae fuit racismus germanicus. Azorín, Pío Baroja, Ortega y Gasset...

CENSURA.—D 1794, 1638. Ut in th. praecedentibus.

PROBATIO.—Ea religio prudenter ut divinitus revelata habetur, quae affirmat se esse revelatam et quae non solum non pugnat cum sana ratione, sed eam complet et perficit, et insuper, plus quam omnes aliae religiones satisfacit justis aspirationibus hominis. A—talis est religio christiana. E—

Min. 1º Religionem christianam minime cum ratione pugnare. Sufficit conspicere sistema harmonicum et undeque perfectum quod efficiunt omnes doctrinae christiana. Hae doctrinae et veritates praebent materiam inexhaustam speculationi et contemplationi sapientibus sed simul aptae sunt ut proponantur rudibus et pueris, quia pariter dici possunt et simplices et sublimes.

2º Doctrinam catholicam completere atque perficere religionem naturalem et rationem. Cognitio congrua Providentiae Dei, Dei tamquam Creatoris et Finis omnium rerum, immortalitatis animae, finis hominis in hac

vita etc, de facto provenit ex Revelatione christiana. Ex historia constat doctrinam christianam perplurimum contulisse ad profectum philosophiae.

3^o Religionem christianam "sensui religioso" hominis esse conformem. Habet omnes illas proprietates quas ratio postulat a vera religione: unitatem doctrinae, universalitatem, independentiam ab Statu, ponit in Deo fundamentum vitae moralis, allicit ad exercitium virtutum, etiam heroicarum, praebet homini exemplaria altissimae perfectionis et media ad superanda obstacula et impedimenta contra perfectionem moralem, tuetur libertatem et dignitatem personae humanae, et insimul est apta ad vitam socialem et familiarem fovendam et in tuto collocandam...

Haec omnia, supposita impotentia hominis quoad cognitionem veritatum religiosarum suadent originem divinam hujus religionis, non possunt explicari sine interventu vel auxilio speciali Dei. Jamvero, religio christiana testatur hoc auxilium consistere in Revelatione, ergo religio christiana prudenter haberi debet ut revelata.



Conclusio finalis totius primae partis

Ergo ex omnibus evidenter credendum est Jesum fuisse Legatum Divinum, Messiam et Filium Dei. Ipse attulit nobis religionem revelatam. Nam: "Haec omnia, si vera, non sunt, tu nos seducis, Deus". "Domine, si error est, a te decepti sumus". (Richardus a S. Victore).

INDEX GENERALIS

Introductio	Pag. 5
-----------------------	--------

DE RELIGIONE ET REVELATIONE IN GENERE

De Religione	10
De Revelationis notione, possibilitate et necessitate	11
De Revelationis dignoscibilitate	17

DE JESU CHRISTO LEGATO DIVINO

De valore historico fontium historiae Jesu Christi	26
Testimonium Jesu de seipso	31
Argumenta quibus probatur veritas hujus testimonii	42
De aliis signis divinis fulgentibus in religione christiana	63
De excellentia interna religionis christiana	70
Conclusio finalis	71



CORRIGENDA

Pag. 16:

Delenda est linea sexta, et ejus loco legatur ita: "Sed intra ambitum revelationis inveniuntur etiam veritates quae de se sunt cognoscibiles per rationem naturalem".

Pag. 17:

Inter lineam quintam et sextam desiderantur hae duae lineae: "et non reversus est ad monotheismum nisi per prophetas missos a Deo. Et in religione christiana, omnes illi qui nolunt agnoscere auctoritatem Ecclesiae ad quot errores pervenerunt?" Pariter in hac ipsa pagella supersunt tres lineae, scilicet nona, decima et undecima.